
TRACTATUS THEOLOGICUS DE IMMACULATA CONCEPTIONE SEU...

Agostino De Angelis




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
16 C
22


Hęc est Benedicta
Terra illa, cui
benedixit
Dominus, ab omni
Propterea contag-
ione peccati libera.
S. Bruno in Psal. 101.
Peccatum transyt
in omnes excepta
B. Virgine.
D. Dionysius
Carthusianus in Cap.




TRACTATVS THEOLOGICVS
DE IMMACVLATA CONCEPTIONE
Seù
PRÆSERVATIONE
B. MARIAE VIRGINIS
A
PECCATO ORIGINALI
IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTVS

Vbi
Seruata Methodo, & Doctrina D. Thomæ Immaculata Conceptio Probatur, Defenditur.

AVTHORE R. P.
D. AVGVSTINO DE-ANGELIS
è Congregatione Somaſcha Theologo.

Cum Syllabo, ſeù Indice Rerum, & verborum notabilium locupletiſſimo.








Puteolis, Typis Hæredum Camilli Caualli, 1661.

Superiorum Permiſſu, & Facultate.



REVERENDISSIMO PATRI,
Domino meo Colendissimo

D. ANDREÆ CANCELLERIO

Regalis Cœnobij S. Martini Priori, ac in hoc Regno Neapolitano Visitatori Sacri Ordinis Carthusiani Vigilantissimo Integerrimo.

AVGVSTINVS DE ANGELIS
Salutem.



Rorsus hilari, ac exultanti Animo Tuis, se se vltrò infert Manibus Tractatus hic meus Theologicus de nitentissima Augustissimę Deiparæ Conceptione, Pater Reuerendissime; Noui enim Te ergà illā tàm tenerrimo affectu, tàm magna solidæ Pietatis contentione ferri, vt omnem in eius Cultu promouendo, augendoq, curam, Vigilantiam, studium omne fœlicissimè contuleris. Hausi-

ſti enim vero à Sanctiſſimo Tui Ordinis Carthuſiani Patriarcha Brunone hunc Spiritum, & Senſum, quandoquidem ille Vniuerſitatis quondam Pariſienſis Theologus, & Doctor eximius Comm. in Pſal. 101. de Immaculata Deiparæ Conceptione luculentiſſimum edidit teſtimonium his verbis. *Hæc eſt incorrupta Terra illa, cui benedixit Dominus ab omni proptereà contagione peccati libera, per quam Vitæ viam agnouimus, & promiſſam veritatem accepimus.* Quæ ſanè verba aureo, nedum albo ſignāda lapillo ex eo ſunt, quia pronunciata longo iam tempore antè ortam Controuerſiam de Immaculata. Hauſiſti hunc Spiritum, & Sensū à ſapientiſſimo iuxtà, ac integerrimo Dionyſio, quem Ambroſius Catharinus ex Ordine Dominicano Archiepiſcopus Compſanus in Diſp. pro Immaculata ad Syn. Trid. p. 1. f. 68. Virum appellat, infinitæ propemodum Lectionis, quia nihil non legiſſe videtur; is enim Comm. ad Epiſt. D. Pauli ad Rom. c. 5. apertiſſimè exponit, quòd ideò Apoſtolus ibi ait, Plus potuiſſe Gratiam, quàm peccatum; plus Donum, quàm Delictum, quia *Peccatum, & Delictum in omnes tranſiit excepta* B. *Virgine, Gratia verò in omnes*, nulla addita exceptione. & in 3. d. 3. q. 1. §. verumtamen, ait. *Feſtum ipſius non ſub nomine Sanctificationis, ſed Conceptionis celebrandum eſt, ſicut & hodie celebrat Eccleſia.* Et quia habemus ex Ioanne Trithemio, & ex Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad

An-

Annum Domini 1450. Dionysium Carthusianum scripsisse, atq; adeò antè tempora Sixti IV. argumentum est, Puram Conceptionem, purè semper, & ab antiquissimo tempore antè ortam Controuersiam celebratam in Tuo Ordine Carthusiano. Hausisti hunc Spiritum, & sensum à Landulpho de Saxonia, qui in vita Iesu Christi p. 1. c. 2. ait. *Concepit Anna, & peperit Filiam, quam appellauit MARIAM, ab originali autem quodam singulari Priuilegio in Matris vtero purgata fuit.* seù (vt in Margine legitur) *Maria purgata, sed meliùs Præseruata asseritur à Peccato Originali.* & c. 42. *Excipitur autem semper B. Virgo, quando de Meritis, vel Peccatis agitur.* Hausisti hunc Spiritum, & Sensum ab eruditissimo Viro Henrico de Hassia Ordinis Tui Theologo clarissimo, Academiæ olim Viennensis Institutore, Immaculatæ Conceptionis iampridem ab Anno 1330. Propugnatore, Defensore acerrimo, inuictissimo. Hausisti hunc Spiritum, & sensum à Laurentio Surio in Historijs temporum versatissimo, qui in Vita, & Passione S. Andreæ Apostoli illud refert, quod à Defensoribus Negatiuæ vsurpatur communiter, *Sicut primus Adam fuit ex Terra nunquam maledicta, ità secundus Adam debuit esse ex Virgine Immaculata.* Deniq; hausisti hunc Spiritum, & Sensum à Reuerēdissimo Generali Tui Ordinis Moderatore Sapiētissimo Ioanne Pegonio, qui lingua planè Theologica, (quam in Mariæ laudibus requirebat Eutymius orat. de

Zona

Zona Virginis) elegantiſſimo ſermone Puriſſimam Deiparentis Conceptionem aſſeruit: fortiſſimis argumentis planè euicit. *Quâ enim ratione fieri poteſt*, (argutiſſimè concludebat ille) *vt illa, quæ Prædeſtinatione quaſi communi gaudet cùm Filio, Puritatem Conceptionis Dignitati Maternitatis ſuæ conuenientem non obtineat? Vt illa, quæ omnium in ſe perfectionum complexa eſt ſplendorem, & Gratiam, Concepta, & formata in Iuſtitia Originali non eſſet? illa demũ, quæ cùm Filio ad Eccleſiæ gloriam, & Hominum ſalutem cuncta diſpuſuit in crimen Hominum Generi commune laberetur? Nùm minor Mariæ Filium Dei edituræ Gratię priuilegio Euę cenſebitur, quæ manibus primi Conditoris, ſiuè labe formata eſt? qua propter nullam, cùm de peccatis agitur, Mariæ fieri mentionem voluit Eccleſia. vt quæ ab omni labe tàm Originalis, quàm Actualis peccati libera, & immunis, iuſte, fideliterque credatur.*

Et quidem ad hanc Prioratus in Regali S. Martini Cęnobio Dignitatem, ad hoc in toto Regno Neapolitano Viſitatoris Munus, non effuſa in Pauperes liberalitas, non paterna illa in Mulieres honeſtiſſimas, quas à quærenda ſtipe, pudor arcet, Miſericordia, nõ ipſa deniq; vitæ tuæ Innocentia, ſed Pietas, & obſequium ergà Immaculatam Deiparæ Conceptionem per varios Honorum gradus extulit; ferunt enim Sixtum IV. Pontificem Maximum ob eius in hoc Myſterium propenſionem, & Pietatem in tantæ Dignitatis apicem aſcendiſſe:


Ho-

Honorat enim Beatissima Mater omnes illam honorantes in sui Conceptione, vndè ait S. Anselmus in Serm. illo celebri habito in Die Festo Conceptionis. *Quisquis Præsul, Abbas, & Prçlatus es, recole diligenter hanc Festiuitatem, & à cunctis iube eam coli; quòd si eam toto corde amaueris, nunquam de gradu tuo depositus eris, & in meipso probaui, quod dico.*

Macte igitur Animo, Pater Reuerendissime, ab Honore, quo frueris; à Gradu, quem tenes; à Dignitate, quam sustines, nunquam excides, si in incçpta Pietate ergà Immaculatam Conceptionem, & Marianam Præseruationem, perseueraueris. Viue Fœlix, & Virginem Beatissimā à labe originali Prçseruatā pro me Ora.



CHRI-



CHRISTIANO LECTORI
Æquam Mentem.

CElebberrima, & acri Scholarum contentione, & olim, & hodie vtrinq; agitata Controuersia de B. Mariæ Virginis Immaculata Conceptione, seu Præseruatione à Peccato Originali, licèt à piè sentientium mente nubilum omne dubitationis excluserit, nondum tamen lucis serenissimæ plenitudine fruitur, donec fuerit altera eius Pars Decreto decisorio terminata, & finita. Innumera penè sunt Illustrium Scriptorum volumina partim, partim Opuscula ea de re hucusq; edita; nil sanè noui superesse videtur, quod addi possit huic enucleando mysterio, quare qui de eo scriberet, videretur omninò actum agere, & repetitas centies cantilenas recinere. Cohiberem igitur libentissimè à scriptione Calamum, & Aduersariorum Inuidiæ me plusquam libentissimè subducerē, nisi voti olim à me emissi pro recuperata salute Virginis Immaculatæ Patrocinio recens, & grata me-

mo-

moria ad ſcribendum pro Dei gloria, & Honore Virginis Beatiſſimæ compuliſſet. Quare hunc Campum ingreßus, illud quàm maximè opto, enixè rogo Lectorem meum, vt velit Animo verè ſoluto, & vtriuſq; Opinionis vacuo, ac nulla ex oppoſitis Sententijs præoccupato, accedere. O quantum caliginis Mentibus humanis offundit alterutram in partem præoccupata Opinio; cùm enim ad vnam partem, tanquam ad ſcopulum alligata Mens legentis eſt, quamuis pro altera euidentiores Rationes, efficaciora Argumenta proponantur, contrà tamen manifeſtiſſimam lucem, contrà perſpicuæ veritatis clariſſimum fulgorem oculos occludit, aciem auertit; cùm pertinaci ſemel inſitæ Opinionis Defenſione, cùm pura Animi contentione, cùm ſenſu ſic adſtricto, atq; deuincto, verè Pia, & Libera Conſcientia ſtare non poteſt. Argumentum eſt Animi ſordidi, abiecti, ſeruilis, tyrannico metu, quaſi ferreis vinculis ad vnum, quod obtruditur, obligari, vnius tantum iurare in verba Magiſtri. Liberi Hominis, & verè ſoluti eſt voluntaria, & ſpontanea electione libratis hinc indè rationum ponderibus, æqua lance cunctis perpenſis, atq; diſcuſſis, quod meliùs, &

 ve-

veritati magis consonum perspexerit, assumere. Quòd si animo verè indifferenti, ad neutram partem propenso accesserit Lector meus, haud dubito, illicò eum plenis velis, plenis Votis in Piam, & Negatiuam Sententiam conuolaturum. Vale.



Appro-

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis Congreg. Somaschæ.

TRactatum Theologicũ de Immaculata Conceptione, seù Præseruatione B. Mariæ Virginis à Peccato Originali R. P. Augustini de Angelis Typis mandari Præsentium tenore concedimus præhabita Virorum grauium, quibus eius examen commisimus, approbatione. Et in Fide has litteras manu propria subscriptas, sigilloq; nostri Officij munitas dedimus. Papię in Collegio S. Maioli die primo Ianuarij 1661.

D. Hieronymus Gallianus Præpositus Generalis Congreg. Somaschæ.

D. Bonifacius Albanus à Secretis.

Reuerendissimo Signore

IL Padre Agostino de Angelis della Congregatione Somasca supplicando dice à V.S.Reuerendiss.voler Stampare per sua Diuotione vn Trattato dell'Immacolata Concettione di Maria sempre Vergine in cotesta sua Diocesi,però humilmente prega di commettere ad alcuno la Reuisione di detto Trattato, è l'hauerà à gratia, vt Deus.

Adm. Reu. Pater Carolus Florillus Societatis Iesu videat, An Imprimi possit, & referat. Puteolis die 24.Septembris 1661.

Ioseph Antonius Capaccius V.Gen. Capitularis.

Reuerendissime Domine

IN Tractatu hoc Theologico Virginis sinè Macula Cōceptę Auctore R.P.D.Augustino de Angelis Congr.Somaschæ, nec contrà Fidei Dogmata, nec contrà Romanas Sanctiones quidquam inueni; totus porrò Liber nitescit pijssima Eruditione, eruditissimaq; Pietate; quare illum Typis meritò imprimi posse, reor. Datum Neapoli 29.Septemb.1661.

Carolus Florillus Societatis Iesu.

Visa subscripta Relatione Imprimatur.

Ioseph Antonius Capaccins Vic.Generalis Capitnlaris.

Il-

Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Signore.

IL Padre Agoſtino de Angelis della Congr. Somaſca ſupplicando dice à V.E. come deue Stampar vn Trattato dell'Immacolata Concettione di Maria ſempre Vergine noſtra Signora, però fà inſtanza, reſti ſeruita dar licenza di Stampare detto Trattato, è Portare la Stampa Fuori grotta, è l'hauerà à gratia, vt Deus.

R.P. Carolus Florillus Societatis Ieſu videat, & in ſcriptis referat S.E.

Galeota Reg. Muſettula Reg. Vlloa Reg. Nauarra Reg.

Prouiſum per S.Excell. Neap. die 5. *Octobris* 1661.
Sebaſtianus.

Excellentiſſime Domine.

IN Tractatu Theologico de Immaculata Cõceptione B. Virginis Auctore R.P.D. Auguſtino de Angelis Congr. Somaſchæ nihil cõtrà Regiam Iuriſdictionem, Regimenuè Politicum inueni; dignum porrò illum reor, vt Typis Imprimatur. Datum in Collegio S. Franciſci Xauerii 15. Octobris 1661.

Carolus Florillus Societatis Ieſu.


Viſa

Visa Subscripta Relatione Imprimatur; Verum antè Publicationē seruetur Reg. Pragm.

Galeota Regens. Musettula Regens. Vlloa Regens. Nauarra Regens.

Prouisum per Suam Excellentiam Neapoli die 19. Octobris 1661.

Sebastianus.



TRA-

TRACTATVS THEOLOGICVS
DE IMMACVLATA CONCEPTIONE
Seù
PRÆSERVATIONE
B. MARIAE VIRGINIS
A
PECCATO ORIGINALI

QVamuis de B. Mariæ Virginis Præseruatione à Peccato Originali dimicare, & uincere, Opus esse Spiritus Sancti iam pridem mihi fuerit exploratissimum, à suscepta tamen Prouincia, neq; me difficultas Operis, neque idem Argumentum fuisse iam olim illustrium Theologorum Studijs, calamisq; subactum, absterruit. Dabit Pietas uires, aderit pro eius Gloria dimicanti eadem illa Virgo fortissima, quam esse terribilem, ut Castrorum aciem ordinatam, Scripturæ deprædicant.

PRI-

PRIMA PARS
TRACTATVS THEOLOGICI
De Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione

PRAELVDIA AD TRACTATVM.

PRima Pars huius Theologici Tractatus complectitur Septem Articulos, quasi Septem Prȩludia ad faciliorem Intelligentiam eorum, quȩ in hoc Tractatu dicenda sunt, In Quorum

I. Quæritur. *An Peccatum Originale sit Morbida Qualitas.*

In II. *An Peccatum Originale sit Priuatio Iustitiæ Originalis.*

In III. *An Peccatum Originale sit minus, quàm Veniale.*

In IV. *An si Christus esset Conceptus ex iusto Coniugio contraxisset Peccatum Originale.*

In V. *An possit assignari naturaliter casus, quo quis per Christi Gratiam Præseruetur à Peccato Originali.*

In VI. *An Peccatum Originale contrahatur in vno instanti Physico.*

In VII. *An Peccatum Originale pugnet cùm Idoneitate ad Dei Maternitatem.*

ARTI-

ARTICVLVS I.
An Peccatum Originale sit morbida Qualitas.

1 VIdetur quòd sic. Primò quia D.Prosper lib. 2.de vita Contemplatiua c.19.ait; *à ligno vitę, à quo eis arcenda mortis, & salutis confirmandę gratia pręstabatur, abscissi sunt, & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt*, ergo originale peccatum consistit in morbida qualitate, quam primi parētes (de quibus ibi loquitur D.Prosper.) peccando originaliter contraxerunt.

2 Secundò quia. Ait D.Augustinus lib. 1. de nuptijs,& concupiscentia c.31. *Carnem nunc appellauit, vbi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsā corporis conformationem*. & lib. 6. contrà Iulianum c.5.loquens de peccato originali, ait. *Qualitas affectionalis mali de substantia in substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, idest, concupiscentię affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.*

3 Tertiò quia, Antiqui Scholastici, vt Argentinas in 3. q. 3. Gabriel in 3. q. 1. art. 3. Guilielmus Vorrillo in 3.d.3. q.vnica Durandus in 2. d. 31. q. 1. posuerunt. Peccatum originale consistere in morbida qualitate, atq; adeò recipi in carne, tanquam in proprio subiecto; ità referunt Scotus in 3.d.3. q.2. Beccanus t.2. tract.2.c.9.q.4. Bellarminus, Pesantius, Valentia, & alij quamplures Recentiores. Consequenter hi Antiqui Scholastici docuerunt,

ſanctificationem Hominis conſiſtere in expulſione huius morbidæ qualitatis ; & in ſpecie loquentes de B. Virgine docuerunt , eam fuiſſe ſanctificatam antè animationem per expulſionem ; nimirùm ; huius morbidæ qualitatis ab eius carne; neq; enim ità fuerunt deliri , vt exiſtimauerint ſanctificationem haberi per ſanctificantem gratiam , quam dixerint recipi in carne , tanquam in proprio ſubiecto , vt immeritò illis attribuitur.

4 Sed contrà eſt Dicendum. Peccatum originale non conſiſtere in morbida qualitate formaliter.

5 Probatur Primò quia, ſi Peccatum originale eſſet morbida qualitas , progreſſu temporis minueretur, & tandem corrumperetur, at non ità accidit, vt patet experientia ; neq;enim poteſt dici transfundi per ſemen ; quia in Baptizatis eſt ſemen , & tamen non eſt morbida qualitas, in qua conſiſtat originale, quod transfunditur in poſteros.ergo.

6 Probatur Secundò quia,non poteſt explicari,in quò ſubiecto iſta qualitas reciperetur , non enim poteſt recipi in carne , quia idem debet eſſe ſubiectum peccati originalis, & gratiæ ſanctificantis; idē enim eſt ſubiectum meriti,& demeriti;At caro non eſt ſubiectum meriti, neq;ſanctificantis Gratiæ, ergo neq; eſt ſubiectum peccati originalis , & demeriti.

7 Ad Primum Reſpondeo . D. Proſperum loqui ibi de peccato originali non formaliter accepto , ſed materialiter ſumpto ; hinc eſt , vt Petrus de Paſude illuſtris Doctor Ordinis Dominicani in 3. d. 3. aſſerat , quòd quamuis peccatum Originale forma-

maliter sit in Anima, in carne tamen est quædam qualitas morbida, ratione cuius ex coniunctione Animæ ad carnem habentem talem qualitatem morbidam, contrahitur peccatum originale.

8 Ad Secundum Resp. D. Augustinum per Concupiscentiam intelligere materiale peccati Originalis, quod etiam docuit D. Thomas 1.2.q.83. art. 3.ad 3. non quòd Concupiscentia sit formale peccati originalis; nam in Baptizatis remanet Concupiscentia, & tamen est ablatum originale: vel per Concupiscentiam intelligere effectum peccati originalis, quo sensu loquitur etiam Concilium Tridentinum sess.5. de Peccato originali, vbi ait. *Hanc Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatū appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè, & propriè in Renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

9 Ad Tertiū Resp. Antiquos Theologos, & Scholasticos fuisse in ea Opinione, quæ modo antiquata est iam, & à Scholis reiecta, sicuti etiam reiecta est eorum Sententia, quòd B. Virgo fuerit sanctificata antè animationem, quia antè Animationem non est B. Virginis nisi sola caro, quę nō est capax peccati, & demeriti; nisi fortasse velimus dicere, materiale peccati Originalis consistere in morbida illa qualitate.

ARTICVLVS II.

An Peccatum Originale sit Priuatio Iustitię Originalis.

1 VIdetur quòd non. Primò quia tollitur in Baptizatis Peccatū originale, & tamen in eis

remanet Priuatio Iustitiæ originalis, remanet enim Rebellio sensus ad rationem, ergo peccatum originale non est Priuatio Iustitiæ originalis.

2 Secundò quia, in Adamo post actum contritionis primi peccati remansit Priuatio Iustitiæ originalis, & non remansit originale iam deletum per illum actum Contritionis, ergo peccatum originale non est Priuatio Iustitię originalis.

3 Tertiò quia, per Baptismum nobis restituitur quidquid Adam nobis perdiderat per peccatum originale, sed nobis non restituitur Iustitia originalis, semper enim in nobis post Baptismum fomes, & rebellio ad rationem remanent, vndè exclamat Apostolus ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati*; ergo.

4 Sed contrà est Dicendum. Peccatum originale formaliter esse Priuationem Iustitiæ originalis, non prout Iustitia originalis dicit integritatem naturæ, sed prout præcisè dicit Gratiam sanctificantem.

5 Probatur Primò, quia per Baptismum nobis restituitur quidquid amiseramus per originale peccatum primi Parentis, sed non restituitur, nisi Gratia sanctificans, non enim restituitur integritas naturæ, & rectitudo illa, qua pars inferior subditur Superiori, vt patet, ergo.

6 Probatur secundò, quia Peccatum originale est mors Animæ, vt manifestè decreuit Tridentinum sess. V. de peccato orig. can. 1. agens enim de effectibus peccati originalis ait. *Si quis non confitetur*

pri-

primum Hominem Adam, cum mandatum Dei esset transgressus, statim sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseq; per offensam preuaricationis huiusmodi irã, & indignationem Dei, atq; adeò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus &c. Sed mors Animæ est Priuatio Gratiæ, ficuti enim Anima est Vita corporis, ità Gratia est vita Animæ, ergo Peccatum originale est Priuatio Gratiæ, cùm sit Priuatio vitæ Animæ, seù Mors Animæ.

7 Probatur Tertiò ex D. Thom. 1.2.q.81.art.3.ad 2. vbi docet, *quòd peccatum originale per Baptismum aufertur reatu, in quantum Anima recuperat Gratiã quantum ad mentem; remanet tamen peccatũ originale actu quantum ad fomitẽ, qui est inordinatio partium inferiorum Animę, & ipsius corporis, secundum quod homo generat, & non secundum mentem, et ideò Baptizati traducunt peccatum originale.* Eandẽ doctrinam repetit D. Thom. 1.p.q.74. art.3. ad 2. vbi ait, *transit peccatum originale reatu, et remanet actu*; nàm sicut iustitia originalis, à qua habetur integritas naturæ, dicit duplicem rectitudinem; primã, qua Anima subdebatur Deo per gratiam sanctificantem; alteram, qua pars inferior, seù corpus subdebatur Animæ, seù rationi: ità peccatum originale est Priuatio vtriusq; rectitudinis; Verum sicut Iustitia originalis principaliter dicit primam rectitudinem, quæ habetur per gratiam sanctificantem, ità Peccatum originale principaliter est Priuatio primæ rectitudinis, idest, Gratiæ sanctificantis, quæ sola nobis restituitur in Baptismo, remanente in

re-

rectitudine, & inordinatione illa, qua pars inferior, seù corpus non subditur rationi, seù Animæ, quæ inordinatio solet dici, vel Fomes peccati, vel Concupiscentia, vel Rebellio partis inferioris ad superiorem.

8 Ad Primum Resp. Post Baptismum remanere Priuationem Iustitiæ originalis, prout Iustitia originalis dicit integritatem naturæ, seù quòad illam rectitudinem, qua pars inferior subditur superiori; non autem remanere Priuationem Iustitiæ originalis, prout Iustitia originalis dicit rectitudinem, & subiectionem animæ ad Deum per Gratiam sanctificãtem, hæc enim nobis restituitur in Baptismo, quidquid enim amiseramus per Adam, restituitur nobis per Baptismum, & per Gratiam Christi.

8 Ad Secũdum Resp. In Adamo post illum actum contritionis remansisse fomitem, & Rebellionem sensus ad Animam; at non remansisse carentiam Gratiæ sanctificantis, hanc enim iam amissam per peccatum originale, recuperauerat per actum illum Contritionis, & doloris de peccato à se commisso.

9 Ad Tertium similiter Respondeo. Per Baptismum nobis restitui quidquid per Adam, seù Adæ peccatum amiseramus, idest, Gratiam sanctificantem; hanc enim principaliter importat Iustitia originalis, & ideò dicitur nobis restitui per Baptismum, quidquid amiseramus, quia restituitur id, quod principaliter amiseramus per Adæ peccatum.

ARTICVLVS III.

An Peccatum Originale sit minus, quàm veniale.

1 VIdetur quòd sic, Primò quia, Peccatum est maius, vel minus, in quantum est magis, vel minus voluntarium, non enim est peccatum, nisi voluntarium, sed Peccatum originale minus habet de Voluntario, quàm Veniale, ergo.

2 Secundò quia Peccatum originale contrahitur per voluntatem positam in aliena Voluntate, seù quasi per Procuratorem; & quando actualiter contrahitur est sinè propria voluntate, seù consensu tunc exhibito, ergo Peccatum veniale importat maiorem maculam, & magis tollit affinitatem cùm Deo, quàm originale; vndè si supponatur, quòd B. Virgo vtrumq; Priuilegium habere non potuisset, & data fuisset optio, vel nunquam cōmittendi veniale, vel incurrendi originale in instanti suæ Conceptionis, debuisset potius eligere incursum in originale, quàm veniale cōmittere. ergo.

3 Tertiò quia, Peccatum est maius, vel minus in quantum magis, vel minus inficit Personam, sed Peccatum originale minus inficit Personam, & magis inficit veniale, quia peccatum originale est peccatum naturæ, non peccatum personæ, ergo.

4 Quartò quia, Peccatũ est maius, vel minus, secundum quod facilius, vel difficilius deletur, & tollitur; sed Peccatum Originale facilius deletur, nimirum per Aquam Baptismi absq; vllo motu interno Pęnitentiæ, in quo eliciendo difficultas consistit.

ſiſtit. è contrà Peccatum veniale non tollitur, niſi ſaltem illud deteſtemur per internum actum Pœnitentiæ, ergo.

5 Quintò quia, Peccatum originale cùm ſit Peccatum naturæ, non eſt increpabile, ait enim Ariſt. 3. Eth. relatus à D. Thoma 1.2.q 81, art. 1. *Propter naturam turpes nullus increpat, ſed propter deſidiã, & negligentiam*; & ideò Pueri mortui in peccato originali non veniunt increpandi in Iudicio Vniuerſali, ſed ſolùm illi, qui propria commiſerunt, inquit Magnus Albertus in 4.d.41. vndè etiam, quamuis ſe cognoſcant Priuatos vita ęterna, & Beatifica Viſione, nullam afflictionem ſentiunt, nec vermem remordentis Conſcientiæ, vt ait Magiſter in 2.d.33. At Peccatum veniale eſt omninò increpabile, ergo hoc eſt maius, illud minus.

6 Sed contrà eſt Dicendum. Peccatum Originale eſſe longè maius Veniali.

7 Probatur primò ex D. Thoma varijs locis; & primò quidem 1.2.quæſt.73. art.1. ait; *multum intereſt ad grauitatem peccati, vtrum plus, vel minus recedatur à rectitudine rationis*, ſed per peccatum originale magis receditur à rectitudine rationis, quia per ipſum deperditur Iuſtitia originalis conſiſtens in illa rectitudine, de qua dicitur Eccleſiaſt. 1. *Deus fecit Hominem rectum, quæ Iuſtitia non deperditur per peccatum veniale, vt patet*, ergo.

8 Secundò. 1. 2. q. 82. art. 2. docet S. Doctor. *In Originali virtualiter prę exiſtunt omnia peccata actualia, ſicut in quodam Principio, ideo eſt virtute multiplex, ideòq; dicitur Pſ. 50. Ecce enim in ini-*

qui-

quitatibus conceptus sũ, et in peccatis concepit me mater mea; Sunt ergo in peccato Originali plura peccata; At id non poteſt verificari de veniali, ergo. Pręterea ibidem dicit S. Thomas; *In peccato primi Parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates ſuperbię, inobedientiæ, gulę*, quas non eſſe in Peccato veniali, eſt inconfeſſo.

9 Tertiò 1.2.q.73.art.8. docet S. Doctor, quòd *nocumentum, quod per ſe ſequitur ex peccato, aggrauat peccatum, & facit illud maius*; hinc eſt, vt qui publicè fornicatur, grauiùs peccet, quàm qui occultè, quia ponit ſcandalum in multis, coram quibus peccat; ſed peccatum Originale cauſat maius nocumentum, quàm veniale, quia illud affert nocumẽtum omnibus Adæ Poſteris in infinitum, non ſic veniale, ergo.

10 Quartò ibidem q.73.art.3. docet, quòd *Peccatorum grauitas differt eo modo, quo vna ęgritudo eſt grauior alia*, at illa ægritudo eſt grauior, quæ inficit plures partes hominis; ſed ex D. Anſelmo lib. de Peccato Orig. & Conceptu Virginali c. 5. Peccatum Originale inficit plures partes Hominis, quia totam humanam naturam inficit, & deprauat, nam corpus reddidit corruptioni ſubiectum æquè, ac ſunt corpora Brutorum; Animam verò carnalibus affectionibus, & paſſionibus ſubiecit, omneſq; eius Potentias deordinauit.

11 Quintò demum ibidem art. 5. in corpore docet: Peccata carnalia eſſe minora, quàm ſpiritualia, quia illa ſunt contrà proprium corpus, quod ordine Caritatis eſt minùs diligendum, quàm Deus, & pro-

ximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia, ſed peccatum Originale eſt contrà Deum,& contrà Caritatem, Peccatum verò veniale non eſt contrà, ſed præter Caritatem; ergo.

12. Probatur ſecundò Principaliter, quia Grauitas culpæ dignoſcitur ex grauitate pœnæ iuxtà illud Apoc. c. 18. *Quantum ſe glorificauit, & in delitÿs fuit, tantum date ei tormentum,& luctum,* & Deut. c.26. *Pro menſura peccati, erit plagarum modus*; Sed peccatum Originale habet grauiorem pœnam, quàm veniale, tùm quia claudit ianuas regni Cœlorum;tùm quia infert neceſſitatem moriendi,paſſibilitatem, Rebellionem carnis, & fomitem, vt dicit D.Thomas in 2.d.32.q.1.art.1. non ſic autem peccata venialia,quæ comparantur ligno, fęno, ſtipulę, iuxtà illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. *Qui ędificat lignum,fęnum,& ſtuppam ſaluus erit,quaſi per ignē,* ideſt,vt gloſſat S.Thomas 1.2.q,84.art,2. in corpore,patitur, *vel ignem temporalis tribulationis in hac vita, vel Purgatorÿ poſt hanc vitam,* ergo. Deniq; quia priuat hominem Gratia ſanctificante, & punitur pœna ęterna; At hæc non præſtat Peccatum veniale, vt patet, ergo. Hinc meritò conqueritur Ambr.Catharinus illuſtris Doctor ex Ordine Dominicano, & Archiepiſcopus Compſanus diſp. pro Immacul.ad Synodum Trid. p.1.fol.6. quòd peccatum originale *ità extenuauerint Aduerſ.ſuis minutÿs diſtinctionibus, vt penè ſuaſerint imperitis nil mali eſſe,perindè ac ſi ludus aliquis eſſet, eſſe ſub ira Dei,& mancipium Diaboli.*

13 Ad Primùm Reſp. Quòd licèt non ſit peccatum

tum,nisi voluntarium,non tamen Peccatum est maius,vel minus ex eo, quòd sit magis, vel minus volũtarium;nam si aliquis actu voluntatis efficaciori, & longiori tempore duraturo ferretur in peccatum veniale, non in mortale; veniale in tali casu,esset magis voluntarium, quàm mortale, & tamen non esset maius veniale, quàm mortale; & si quis longiori tempore duraret in actu odij, exempli gratia, quàm alius, non propterea grauius specificè peccaret,& tamen ille actus odij esset magis voluntarius.

14. Deindè si peccatum originale,& veniale comparentur in ordine ad naturam,non minùs habet de voluntario Originale, quàm veniale, ità docet D. Thomas q. 14. de malo art. 1. At si comparentur in ordine ad personam; fateor, Peccatum veniale esse voluntarium, sed modicus iste excessus suprà originale compensatur aliundè non modò, sed longè superatur ex alijs capitibus suprà enumeratis, nimirũ, ex maiori nocumento,ex maiori pęna,& huiusmodi. Imò quia originale est contrà Deum habet malitiam, & indignitatem secundum quid infinitam, non secùs,ac Maternitas Dei in B.Virgine habet dignitatem quandam infinitam ex D.Thoma 1. p. q. 25. in Resp. ad 4.quarè si daretur Optio B. Virgini, An vellet Peccatum Originale cum Maternitate Dei, An verò vtroq;carere, mallet non habere peccatum Originale, & carere Maternitate Dei, quàm habere vtrumq; & Originale, & Maternitatem: ità docet Corduba lib. 1. Quæst. Theol. q.49. & potest reddi ratio quia, magis est detestanda culpa, quàm sit optandum quodcunq;bonum.

15 Ad secundùm Resp. Rationem maculæ, vel ignominiæ, vel alienationis, seù auersionis à Deo non pensari ex eo, quòd peccatum fiat per proprium consensum, vel per alienum; quòd fiat per consensum meum formalem, vel per virtualem, positum, videlicèt, in alio, tanquam in Procuratore, verbi gratia; sed sumitur ex intrinsecis prædicatis peccati, & effectu, quem causat in Anima. At certum est, Peccatum veniale non causare in Anima effectus, quos causat peccatum Originale, nam si aliquis cōmitteret peccatum mortale per consensum positum in alio, tanquam in Procuratore, quis diceret in tali casu, maius peccatum esse veniale, quàm mortale? Ideò in assignato casu, B. Virgo potius eligeret cōmittere veniale, quàm Originale contrahere; Præsertim, quia si B. Virgo eligeret cōtrahere Originale, ratificaret factum Adami, atq; adeò actu formaliter consentiret, & ideò quò ad actualitatem consensus, & quò ad esse voluntarium in tali casu parificaretur veniale, & originale, & ex alia parte remaneret excessus peccati Originalis suprà veniale.

16 Dices, ex Card. de Lugo de Pœnit. Disp. V. sess. 5 nu. 60. si aliquis sciret, se esse in statu peccati mortalis, & putaret, se non posse, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ liberari, ad quod percipiendum necessarium esset, mentiri venialiter, non posset veniale committere, sed deberet eligere, manere potius in statu peccati etiam per multos annos, quàm committere veniale, quia esset in statu peccati habitualis, atq; adeò non peccaret de nouo, neq; nouam pœnam mereretur; ergo à pari B. Virgo potius de-

be-

beret eligere in casu posito, contrahere originale in instanti suæ Conceptionis, quàm committere veniale, quod tamen remaneat veniale. Ratio est, quia peccatum Originale comparatur peccato Habituali, quod commissum est in Adamo, in quo erant voluntates omnium Posterorum; deindè moraliter in ipsis Posteris perseuerat, & ex alia parte peccatum nunquam potest esse licitum, si remaneat peccatum, ergo si illud peccatum veniale remaneat peccatum veniale, vt supponimus, non potest esse licitum; vel si licitè eligitur, iam non esset peccatum.

17 Respondeo. Duas esse disparitates inter peccatum Originale, & peccatum mortale habituale. Prima est, quia peccatum habituale est commissum per consensum virtualem positum in Adamo, tanquam in Procuratore, in quo fuerunt omnes voluntates Posterorum. Secunda disparitas est, quia per peccatum Originale non incurritur macula antè instans Conceptionis, sed solummodo debitum contrahendi maculam; At per peccatum mortale habituale incurritur macula, & ideò si in instanti Conceptionis daretur Optio, de qua in Argumento, non deberet B. Virgo eligere potiùs incurrere in Originale, quàm committere veniale, sicut si quis commisisset peccatum mortale per consensum virtualē positum in Procuratore, si daretur illi Optio, vt vel ratificaret illum actum peccaminosum, vel committeret veniale, non deberet eligere potiùs ratificare peccatum mortale, quàm committere veniale, quia ratificando illum actum per consensum formalem, & proprium, augeret malitiam illius actus peccaminosi,

nosi,

nosi,& per consequens etiam pœnam illi actui debitam.

18 Ad tertium Resp. Quòd licèt peccatum originale primò,& directè inficiat naturam,attamen cõsequenter,& secundariò inficit Personam, imò plures personas,nempè omnes Adæ posteros,ideòq; D. Augustinus passim appellat peccatum originale humani Generis ruinam, cladem, contagium, pestem, corruptionem,vt patet legentibus libros S. Augustini contrà Pelagianos.

19 Ad Quartum Resp. Peccatum Originale tolli quidem per Gratiam Baptismalem, sed hæc applicatur per merita Passionis,& Mortis Christi, quæ cùm sint infiniti valoris, benè arguunt grauitatem peccati Originalis suprà veniale, quòd deleri potest per solos actus virtutis Pœnitentiæ.

20 Ad Quintum Resp. Verè id, quod est per naturam,non est increpabile in esse gradu, quo est increpabile id,quod est per negligẽtiam, & desidiam; sed absolutè esse increpabile, imò & abhominabile quis negabit?quando videmus nothos, spurios, deformes corpore, Hæreticorum filios, vel etiam liberos eorum, qui ob crimen læsæ Maiestatis vltimo supplicio damnati sunt, fore omnium contemptui, & derisui expositos.Pueros verò ideò in Iudicio nõ forè taliter increpandos, nec pœnam remordentis conscientiæ esse sensituros, quia illis non est debita pœna sensus, sed solum pœna damni, & ideò probabilis etiam Sententia est, nec quidem in Vniuersali Iudicio esse comparituros. Vide Propug. Theol. fol. 163. nu. 109.

ARTICVLVS IV.

An si Christus esset Conceptus ex iusto Coniugio, & non ex Virgine, contraxisset Peccatum Originale.

1 VIdetur quòd sic. Primò quia ideò Christus voluit nasci ex Virgine, nè trasgrederetur legem illam Vniuersalem, vt quisquis ex concubitu Viri, & Fęminæ concipitur, peccatum contrahat Originale, ergo si Christus esset conceptus ex iusto coniugio, seu concubitu maris, & fęminæ, contraxisset Peccatum Originale.

2 Secundò quia ait D. Thomas 3.p.q.28.art.1. in corpore. *Non poterat autem esse, quod in natura iam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sinè infectione peccati originalis.* & ideò concludit S. Doctor hic, quòd B. Maria fuerit Virgo in concipiēdo, aliàs Christus contraxisset Peccatum Originale.

3 Tertiò quia D. Augustinus lib. de nuptijs, & concupiscentia c.12, ait. *Solus nuptialis concubitus ibi nō fuit* (scilicet in matrimonio Marię, & Ioscphi) *quia in carne peccati fieri non potuit sine vlla carnis concupiscentia, quę accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato*, ergo ideò Christus voluit concipi ex Virgine, & non ex concubitu maris, & fæminæ, in quo concupiscentia, atq; adeò peccatum semper interuenit, quia futurus erat sinè Peccato.

3 Sed contrà est Dicēdum secundum Paulum Nazarium Illustrem Thomistam, & Commentato-

rem

rem D. Thomę, videlicèt, quòd sicuti de facto Christus excludit à se peccatum Originale, & virtualiter, & formaliter, ità in data Hypothesi, Christus habuisset Peccatum originale virtualiter in Carne, antequam esset à Verbo Assumpta, & animata Anima Rationali; non tamen habuisset peccatum Originale formaliter in Anima, & in propria Persona: Verba Pauli Nazarij formalia Tomo 2. in 3. p. q. 28. art. 1. dub. 1. hic à me integra fide transcripta; sunt, *Videtur ergo Dicendum; S. Thomam hic, & Augustinum non dicere, fieri nequaquam posse, vt Christus conciperetur ex concubitu viri, & fęminę sine infectione Originalis peccati, id enim falsum est, quia poterat à Deo pręseruari, ne peccatum contraheret originale, imò quia humana natura ipsa Vnione cùm Verbo personali fuit formaliter sanctificata, impossibile fuit, Christum, qui est Persona ex Diuina, & Humana natura composita contrahere peccatum Originale, sicut patet ex horum Sanctorum verbis, de sola carne loquuntur, antequam assumeretur à Verbo, & esset animata anima Rationali, quę licèt peccatum Originale habere non posset, infectionem tamen haberet in casu pręedicto peccati Originalis, quasi virtualem, quę ad peccatum originale contrahendum à genito in termino generationis ordinaretur, sicut in cęteris hominibus, nisi gratia Vnionis hypostaticę, aut habituali pręueniretur: Sensus enim Verborum D. Thomę, & Augustini est, Peccatum in Humanitate Christi locum habere nullo modo potuisse, scilicet, neq; in ipsa secundum se formaliter, neq; in eius materia ante animationem quasi virtualiter, habuisset*

autem in carne ante animationem, peccati Originalis infectionem modo dicto: si in natura corrupta ex concubitu viri, & feminę concepta fuisset. Hæc Paulus Nazarius Tomo illo secundo. Verum eandem doctrinam tradiderat prius Tomo primo q. 15. art. 4. in fine 2. p. controuers. vbi ait loquẽs de carne Christi: *quamuis ex Adamo per naturalem generationem propagata, & priùs natura peccato infecta potuisset assumi, in ipso tamen Assumptionis instanti ex vi Assumptionis, & Vnionis Hypostaticę ab omni peccati macula mundaretur.* Eandem doctrinam tenet Seraphinus Capponi à Porrecta in Comm. hic, habet enim §. exam. *ly sinè infectione Originalis peccati; hoc est, neq; actu, neq; potentia contrahendi, ità quod nulla obligatio ad contrahendum illud ibi esset; Id quod est, quando caro, absq; nuptiali Concubitu, idest, absq; virili semine concipitur, quòd est, Virginem seruata omninò Virginitate concipere illam carnem, ideò ad hęc omnia significanda in Tertia probatione Conclusionis positum est, ly nullo modo. Pro horum ampliori captu vide q. 27. art. 2. Elucid. ad longum.* Hæc Seraphinus.

5 Et quidem Seraphinus in illa elucidatione remissiuè cit. fusè declarat, non esse necesse in Conceptis ex iusto coniugio admittere peccatum originale actu, sed omninò sufficere, quòd ponatur Peccatum Originale, vel actu, & formalitèr, vel in potentia, & virtualiter, seù in debito disiunctiuè. Eius verba formalia dabo infrà in Sacra Centuria cùm de Auctoritate D. Thomæ in syllogismo Hypothetico.

6 Ad primum igitur Resp. legem vniuersalem

esse

esse de contrahendo Peccato Originali in omnibus conceptis ex concubitu vel actu, vel potentia, seù in debito disiunctiuè; non verò esse legem Vniuersalē de contrahendo peccato Originali in actu tantùm, & formaliter, nam si quis in instāti animationis speciali gratia præueniatur, vt accidit in Beata Virgine, potest non contrahere Originale peccatum actu, esto contraheret potentia, seù in debito.

7 Ad Secundum Respondeo notanter D. Thomam dixisse, non posse esse, quòd in natura corrupta ex concubitu nasceretur caro siuè infectione Originalis peccati, nam in carne est infectio peccati Originalis, non quidem formaliter; sed virtualiter, seù in potentia, & in debito, & ideò etiam non dixit, non posse esse, quòd natura humana Christi, aut quòd Anima, non esset infecta per peccatum Originale, quia in illa hypothesi, caro esset infecta, & Anima esset vi vnionis Hypostaticæ præseruata.

8 Ad Tertium Resp. cùm Nazario, *notanter D. Augustinum non dixisse; Christum voluisse concipi sinè peccato, id enim erat euidens, cùm in eo peccatum cadere non posset. sed dixit voluisse concipi sinè carnis concupiscentia, per hanc enim caro antè animationē fuisset infecta modo dicto, vt etiam significat Caietanus q. 27. art. 2. §. Aduerte secundo;* Hæc Nazarius, & cùm locum Caietani remissiuè citatum legissem, inueni hæc verba formalia. *Licèt sāctificatio proprie sumpta, vt scilicèt pertingit ad proprium terminum ad quem, qui est gratia reddens Creaturam impeccabilem, ad minus mortaliter, sumatur duobus antecedē-*

dentibus modis, extenditur tamen sanctificationis nomen, (sicut etiam extenduntur alia nomina multiplicia) ad ea, quę ad sanctitatem pręparant, vel faciunt & huiusmodi, & propterea Auctor in secunda ratione hic allata, extenso sanctificationis nomine vtitur dicens; quocumq; modo ante animationē B. Virgo santificata fuisset, ea autem necessitas secundę rationis fuit, quia excluso per primam rationem, quòd antè infusionem Rationalis animę sanctificata fuit propriè, (quia non erat capax gratię) superat excludere, quòd tunc etiam, scilicet, antè animationem non fuisset sanctificata illo modo, quo ille fœtus erat sanctificationis capax, putà, quòd mundaretur ab infectione, seù contagione, quę erat infectura Animā Rationalem sibi infundendam. Igitur ex mente Caietani etiam in carne est aliquo modo peccatum originale, nempè cōtagio illa, quæ est infectura Animam, nisi aliundè impediatur; & talis contagio fuisset in carne Christi, si conceptus esset ex concubitu.

9 Ex quibus qui non videt, hanc eandem doctrinam in terminis, quam tradunt Thomistæ de Christo dato, quòd esset conceptus ex iusto coniugio, militare de facto in B. Virgine, concepta ex iusto coniugio, cæcutit in Sole, Scotistæ enim, & communiter Defensores Immaculatæ Conceptionis, seù Præseruationis B. Mariæ Virginis à peccato originali nil aliud intendunt, nisi Animam B. Virginis fuisse ab originali Præseruatam, & aliàs vltrò admittunt, fuisse in carne facta ex concubitu infectionem illam, quæ est debitum, periculum, seù potentia incurrendi peccatum originale formaliter in Anima,

-aliundè diuinitus impediatur, vt de facto fuit impeditum in B. Virgine; & quia D. Thomas pluribus suæ Doctrinæ locis dicit, B. Virginem contraxisse peccatum originale, quia concepta ex concubitu, manifestè colligitur, nomine peccati originalis intellexisse debitum contrahendi, seù Peccatum originale in debito, & virtualiter, non actu, & formaliter, vt loquitur Nazarius cùm alijs Thomistis vbi suprà.

ARTICVLVS V.

An possit assignari naturaliter casus, in quo quis per Christi Gratiam Preseruetur ab originali.

1 Videtur quòd sic. Primò quia si quà Mulier adhùc Cathecumena, & originali maculata in odiū Fidei lethaliter vulneretur, sanè pro eo instanti, quo verum esset dicere, quòd attentis caussis naturalibus esset ineuitabiliter moritura, reciperet primam gratiam, & emundaretur ab originali, præsertim si esset sensibus destituta, vt requirit Vazquez, nec naturaliter posset recuperare vsum rationis, de qua re videri potest Valentia 2.2. & alios, vbi agunt de Fortitudine. Posset in eodem instanti animari Fœtus in eius vtero, supponitur enim inflictione Vulneris in loco remoto à fœtu, putà in collo, vel capite Matris non impediri Animationem fœtus in vtero per antecedentes dispositiones præparato, & disposito, sed in tali casu fœtus, vel Puer dicto modo animatus euaderet Peccatum originale, ergo. Minor probatur, quia in tali casu Puer ille esset destinatus ad ineuitabilem mortem non

secùs,

secùs, ac destinata est Mater, ergò reciperet primam gratiam simul cùm Matre, ergò sicuti Mater emundaretur à peccato originali, ità Puer ab eodem originali præseruaretur. Consequentia tenet, quia ex vna parte Puer in tali casu non posset viuere ex cõmuni sensu omnium Medicorum, ex alia parte ad Martyrium non requiritur actualis mors, sed sufficit, quòd quis subiectus sit causis necessariò mortem illaturis, vt patet in S. Ioanne Euangelista, ad cuius Martyrium satis fuit eius proiectio in ollam olei accensi; & similiter ad Martyrium non requiritur vsus liberi Arbitrij, vt patet in SS. Innocentibus, qui fuerunt verè Martyres, imò Martyrum flores, & tamen nullum elicuerunt actum liberum, quo mortem acceptarent, sed in ijs sanguis pro Christo effusus vicem gessit Baptismatis, imò verus fuit Baptismus sanguinis, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 104. art. 1. ad primum.

2 Secundò quia, potest ex naturalibus causis euenire, vt in aliquo acceleretur vsus liberi arbitrij in instãti Animationis, sed in illo instãti posset quis elicere actum Dilectionis ergà Deũ, per quẽ reciperet primã gratiã, quia docet D. Th. 1.2. q. 89. ar. 4. in corpore, primum, quod occurrit Homini statim, ac peruenit ad vsum rationis, est deliberare de seipso, & siquidem ordinauerit se ad debitum finem per gratiam, consequetur remissionem Originalis, ergò: Maior, in qua est tota Difficultas, probatur, quia Doctores inter se non conueniunt in assignando Tempore, seù instanti, quo incipiat in Pueris elucescere vsus rationis, & liberi arbitrij; nã Aliqui, vt S. Antoninus

15 Ad ſecundùm Reſp. Rationem maculæ, vel ignominiæ, vel alienationis, ſeù auerſionis à Deo non penſari ex eo, quòd peccatum fiat per proprium conſenſum, vel per alienum; quòd fiat per conſenſum meum formalem, vel per virtualem, poſitum, videlicèt, in alio, tanquam in Procuratore, verbi gratia; ſed ſumitur ex intrinſecis prædicatis peccati, & effectu, quem cauſat in Anima. At certum eſt, Peccatum veniale non cauſare in Anima effectus, quos cauſat peccatum Originale, nam ſi aliquis cōmitteret peccatum mortale per conſenſum poſitum in alio, tanquam in Procuratore, quis diceret in tali caſu, maius peccatum eſſe veniale, quàm mortale? Ideò in aſſignato caſu, B. Virgo potius eligeret cōmittere veniale, quàm Originale contrahere; Præſertim, quia ſi B. Virgo eligeret cōtrahere Originale, ratificaret factum Adami, atq; adeò actu formaliter conſentiret, & ideò quò ad actualitatem conſenſus, & quò ad eſſe voluntarium in tali caſu parificaretur veniale, & originale, & ex alia parte remaneret exceſſus peccati Originalis ſuprà veniale.

16 Dices, ex Card. de Lugo de Pœnit. Diſp. V. ſeſſ. 5 nu. 60. ſi aliquis ſciret, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, & putaret, ſe non poſſe, niſi per Sacramentum Pœnitentiæ liberari, ad quod percipiendum neceſſarium eſſet, mentiri venialiter, non poſſet veniale committere, ſed deberet eligere, manere potius in ſtatu peccati etiam per multos annos, quàm committere veniale, quia eſſet in ſtatu peccati habitualis, atq; adeò non peccaret de nouo, neq; nouam pœnam mereretur; ergo à pari B. Virgo potius debe-

beret eligere in casu posito, contrahere originale in instanti suæ Conceptionis, quàm committere veniale, quod tamen remaneat veniale. Ratio est, quia peccatum Originale comparatur peccato Habituali, quod commissum est in Adamo, in quo erant voluntates omnium Posterorum; deindè moraliter in ipsis Posteris perseuerat, & ex alia parte peccatum nunquam potest esse licitum, si remaneat peccatum, ergo si illud peccatum veniale remaneat peccatum veniale, vt supponimus, non potest esse licitum; vel si licitè eligitur, iam non esset peccatum.

17 Respondeo. Duas esse disparitates inter peccatum Originale, & peccatum mortale habituale. Prima est, quia peccatum habituale est commissum per consensum virtualem positum in Adamo, tanquam in Procuratore, in quo fuerunt omnes voluntates Posterorum. Secunda disparitas est, quia per peccatum Originale non incurritur macula antè instans Conceptionis, sed solummodo debitum contrahendi maculam; At per peccatum mortale habituale incurritur macula, & ideò si in instanti Conceptionis daretur Optio, de qua in Argumento, non deberet B. Virgo eligere potiùs incurrere in Originale, quàm committere veniale, sicut si quis commisisset peccatum mortale per consensum virtualē positum in Procuratore, si daretur illi Optio, vt vel ratificaret illum actum peccaminosum, vel committeret veniale, non deberet eligere potiùs ratificare peccatum mortale, quàm committere veniale, quia ratificando illum actum per consensum formalem, & proprium, augeret malitiam illius actus peccaminosi,

nosi,

nosi,& per consequens etiam pœnam illi actui debitam.

18 Ad tertium Resp. Quòd licèt peccatum originale primò,& directè inficiat naturam,attamen cõsequenter,& secundariò inficit Personam, imò plures personas,nempè omnes Adæ posteros,ideòq;D. Augustinus passim appellat peccatum originale humani Generis ruinam, cladem, contagium, pestem, corruptionem,vt patet legentibus libros S.Augustini contrà Pelagianos.

19 Ad Quartum Resp. Peccatum Originale tolli quidem per Gratiam Baptismalem, sed hæc applicatur per merita Passionis,& Mortis Christi, quæ cùm sint infiniti valoris, benè arguunt grauitatem peccati Originalis suprà veniale, quòd deleri potest per solos actus virtutis Pœnitentiæ.

20 Ad Quintum Resp. Verè id, quod est per naturam,non est increpabile in esse gradu, quo est increpabile id,quod est per negligẽtiam, & desidiam; sed absolutè esse increpabile, imò & abhominabile quis negabit?quando videmus nothos, spurios, deformes corpore, Hæreticorum filios, vel etiam liberos eorum, qui ob crimen læsæ Maiestatis vltimo supplicio damnati sunt, fore omnium contemptui, & derisui expositos.Pueros verò ideò in Iudicio nõ forè taliter increpandos, nec pœnam remordentis conscientiæ esse sensituros, quia illis non est debita pœna sensus, sed solum pœna damni, & ideò probabilis etiam Sententia est, nec quidem in Vniuersali Iudicio esse compArituros. Vide Propug.Theol. fol.163.nu.109.

ARTICVLVS IV.

An si Christus esset Conceptus ex iusto Coniugio, & non ex Virgine, contraxisset Peccatum Originale.

1 VIdetur quòd sic. Primò quia ideò Christus voluit nasci ex Virgine, nè trasgrederetur legem illam Vniuersalem, vt quisquis ex concubitu Viri, & Fęminæ concipitur, peccatum contrahat Originale, ergo si Christus esset conceptus ex iusto coniugio, seù concubitu maris, & fęminæ, contraxisset Peccatum Originale.

2 Secundò quia ait D. Thomas 3.p.q.28.art.1. in corpore. *Non poterat autem esse, quod in natura iam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sinè infectione peccati originalis.* & ideò concludit S. Doctor hic, quòd B. Maria fuerit Virgo in concipiẽdo, aliàs Christus contraxisset Peccatum Originale.

3 Tertiò quia D. Augustinus lib. de nuptijs, & concupiscentia c.12. ait. *Solus nuptialis concubitus ibi nõ fuit* (scilicet in matrimonio Marię, & Ioséphi) *quia in carne peccati fieri non potuit sine vlla carnis concupiscentia, quę accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato*, ergo ideò Christus voluit concipi ex Virgine, & non ex concubitu maris, & fæminæ, in quo concupiscentia, atq; adeò peccatum semper interuenit, quia futurus erat sinè Peccato.

3 Sed contrà est Dicẽdum secundum Paulum Nazarium Illustrem Thomistam, & Commentatorem

rem D. Thomę, videlicèt, quòd sicuti de facto Christus excludit à se peccatum Originale, & virtualitèr, & formalitèr, ità in data Hypothesi, Christus habuisset Peccatum originale virtualiter in Carne, antequam esset à Verbo Assumpta, & animata Anima Rationali; non tamen habuisset peccatum Originale formaliter in Anima, & in propria Persona: Verba Pauli Nazarij formalia Tomo 2. in 3. p. q. 28. art. 1. dub. 1. hic à me integra fide transcripta; sunt. *Videtur ergo Dicendum; S. Thomam hic, & Augustinum non dicere, fieri nequaquam posse, vt Christus conciperetur ex concubitu viri, & feminę sine infectione Originalis peccati, id enim falsum est, quia poterat à Deo pręseruari, ne peccatum contraheret originale, imò quia humana natura ipsa Vnione cùm Verbo personali fuit formaliter sanctificata, impossibile fuit, Christum, qui est Persona ex Diuina, & Humana natura composita contrahere peccatum Originale, sicut patet ex horum Sanctorum verbis, de sola carne loquuntur, antequam assumeretur à Verbo, & esset animata anima Rationali, quę licèt peccatum Originale habere non posset, infectionem tamen haberet in casu prędicto peccati Originalis, quasi virtualem, quę ad peccatum originale contrahendum à genito in termino generationis ordinaretur, sicut in cęteris hominibus, nisi gratia Vnionis hypostaticę, aut habituali pręueniretur: Sensus enim verborum D. Thomę, & Augustini est, Peccatum in Humanitate Christi locum habere nullo modo potuisse, scilicet, neq; in ipsa secundum se formaliter, neq; in eius materia ante animationem quasi virtualiter, habuisset*

autem in carne ante animationem, peccati Originalis infectionem modo dicto: si in natura corrupta ex concubitu viri, & feminę concepta fuisset. Hæc Paulus Nazarius Tomo illo secundo. Verum eandem doctrinam tradiderat prius Tomo primo q. 15. art. 4. in fine 2. p. controuers. vbi ait loquẽs de carne Christi: *quamuis ex Adamo per naturalem generationem propagata, & prius natura peccato infecta potuisset assumi, in ipso tamen Assumptionis instanti ex vi Assumptionis, & Vnionis Hypostaticę ab omni peccati macula mundaretur.* Eandem doctrinam tenet Seraphinus Capponi à Porrecta in Comm. hic, habet enim §. exam. *ly sine infectione Originalis peccati: hoc est, neq; actu, neq; potentia contrahendi, ita quod nulla obligatio ad contrahendum illud ibi esset; Id quod est, quando caro, absq; nuptiali Concubitu, id est, absq; virili semine concipitur, quod est, Virginem seruata omninò Virginitate concipere illam carnem, ideò ad hęc omnia significanda in Tertia probatione Conclusionis positum est, ly nullo modo. Pro horum amplori captu vide q. 27. art. 2. Elucid. ad longum.* Hæc Seraphinus.

5. Et quidem Seraphinus in illa elucidatione remissiuè cit. fusè declarat, non esse necesse in Conceptis ex iusto coniugio admittere peccatum originale actu, sed omninò sufficere, quòd ponatur Peccatum Originale, vel actu, & formalitèr, vel in potentia, & virtualiter, seu in debito disiunctiuè. Eius verba formalia dabo infrà in Sacra Centuria cùm de Auctoritate D. Thomæ in syllogismo Hypothetico.

6. Ad primum igitur Resp. legem vniuersalem

esse

esse de contrahendo Peccato Originali in omnibus conceptis ex concubitu vel actu, vel potentia, seù in debito disiunctiuè; non verò esse legem Vniuersalẽ de contrahendo peccato Originali in actu tantùm, & formaliter, nam si quis in instãti animationis speciali gratia præueniatur, vt accidit in Beata Virgine, potest non contrahere Originale peccatum actu, esto contraheret potentia, seù in debito.

7 Ad Secundum Respondeo notanter D. Thomam dixisse, non posse esse, quòd in natura corrupta ex concubitu nasceretur caro siuè infectione Originalis peccati, nam in carne est infectio peccati Originalis, non quidem formaliter; sed virtualiter, seù in potentia, & in debito, & ideò etiam non dixit, non posse esse, quòd natura humana Christi, aut quòd Anima, non esset infecta per peccatum Originale, quia in illa hypothesi, caro esset infecta, & Anima esset vi vnionis Hypostaticæ præseruata.

8 Ad Tertium Resp. cùm Nazario, *notanter D. Augustinum non dixisse; Christum voluisse concipi sinè peccato, id enim erat euidens, cùm in eo peccatum cadere non posset. sed dixit voluisse concipi sinè carnis concupiscentia, per hanc enim caro antè animationẽ fuisset infecta modo dicto, vt etiam significat* Caietanus *q. 27. art. 2. §. Aduerte secundo*; Hæc Nazarius, & cum locum Caietani remissiuè citatum legissem, inueni hæc verba formalia. *Licèt sãctificatio propriè sumpta, vt scilicèt pertingit ad proprium terminum ad quem, qui est gratia reddens Creaturam impeccabilem, ad minus mortaliter, sumatur duobus antece-*

den-

dentibus modis, extenditur tamen sanctificationis nomen, (sicut etiam extenduntur alia nomina multiplicia) ad ea, quę ad sanctitatem pręparant, vel faciunt & huiusmodi, & propterea Auctor in secunda ratione hic allata, extenso sanctificationis nomine vtitur dicens; quocumq; modo ante animationē B. Virgo santificata fuisset, ea autem necessitas secundę rationis fuit, quia excluso per primam rationem, quòd antè infusionem Rationalis animę sanctificata fuit propriè, (quia non erat capax gratię) superat excludere, quòd tunc etiam, scilicet, ante animationem non fuisset sanctificata illo modo, quo ille fœtus erat sanctificationis capax, putà, quod mundaretur ab infectione, seù contagione, quę erat infectura Animā Rationalem sibi infundendam. Igitur ex mente Caietani etiam in carne est aliquo modo peccatum originale, nempè cōtagio illa, quæ est infectura Animam, nisi aliundè impediatur; & talis contagio fuisset in carne Christi, si conceptus esset ex concubitu.

9 Ex quibus qui non videt, hanc eandem doctrinam in terminis, quam tradunt Thomistæ de Christo dato, quòd esset conceptus ex iusto coniugio, militare de facto in B. Virgine, concepta ex iusto coniugio, cæcutit in Sole, Scotistæ enim, & communiter Defensores Immaculatæ Conceptionis, seù Præseruationis B. Mariæ Virginis à peccato originali nil aliud intendunt, nisi Animam B. Virginis fuisse ab originali Præseruatam, & aliàs vltrò admittunt, fuisse in carne facta ex concubitu infectionem illam, quæ est debitum, periculum, seù potentia incurrendi peccatum originale formaliter in Anima,

secùs, ac destinata est Mater, ergò reciperet primam gratiam simul cùm Matre, ergò sicuti Mater emundaretur à peccato originali, ità Puer ab eodem originali præseruaretur. Consequentia tenet, quia ex vna parte Puer in tali casu non posset viuere ex cõmuni sensu omnium Medicorum, ex alia parte ad Martyrium non requiritur actualis mors, sed sufficit, quòd quis subiectus sit causis necessariò mortem illaturis, vt patet in S. Ioanne Euangelista, ad cuius Martyrium satis fuit eius proiectio in ollam olei accensi; & similiter ad Martyrium non requiritur vsus liberi Arbitrij, vt patet in SS. Innocentibus, qui fuerunt verè Martyres, imò Martyrum flores, & tamen nullum elicuerunt actum liberum, quo mortem acceptarent, sed in ijs sanguis pro Christo effusus vicem gessit Baptismatis, imò verus fuit Baptismus sanguinis, vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 104. art. 1. ad primum.

2 Secundò quia, potest ex naturalibus causis euenire, vt in aliquo acceleretur vsus liberi arbitrij in instãti Animationis, sed in illo instãti posset quis elicere actum Dilectionis ergà Deũ, per quẽ reciperet primã gratiã, quia docet D. Th. 1.2. q. 89. ar. 4. in corpore, primum, quod occurrit Homini statim, ac peruenit ad vsum rationis, est deliberare de seipso, & siquidem ordinauerit se ad debitum finem per gratiam, consequetur remissionem Originalis, ergò: Maior, in qua est tota Difficultas, probatur, quia Doctores inter se non conueniunt in assignando Tempore, seù instanti, quo incipiat in Pueris elucescere vsus rationis, & liberi arbitrij, nã Aliqui, vt S. Antoninus

ninus 1.part.summæ tit.9:cap.8. §.2.docent, vsum Rationis in Pueris elucescere in decennio;alij communiter in septennio,vt Sotus in 4.d.cap.14.quæst. 1.Valentia tom.4.disp.7.quæst.9.puncto 4. Alij ex eo,quod narrat D.Gregorius libr. 4. Mor. de Puero blasphemate rapto à Dæmone,quamuis ætatē quatuor Annorum non excederet, dicunt in aliquibus accelerari vsum Rationis antè septēnium malitia præueniente ætatem : Legimus in Vita S.Nicolai Myrensis Archiepiscopi,quòd vix natus,erectus stetit in peluì,quòd 4.& 6.Feria abstinebat à potu lactis,id autem non videtur posse fieri absque aliquo actu liberi arbitrij: Arist.lib.5.de Gen.Anim.cap.1. docet,Pueri vitam incipere à somno,aliquando Pueros in vtero expergisci,& iterum obdormiscere, idque dissectionibus deprehendi. D.Thomas p. p. q. 99.art.1.docet,motum membrorum, & liberi arbitrij impediri in pueris à nimia frigiditate, ideo quædam animalia imperfectiora Homine,quia sicciora, habent motum membrorum expeditum statim, ac nascũtur.At non repugnat ex naturalibus causis nimiam istam frigiditatem attemperari etiam in vtero matrum,sicuti enim de facto ad tuendam sanitatem Pueri,vel ad ei mortem inferendam,antequam animetur,in ipsomet animationis instanti, & post animationem remedia naturalia applicantur,ergo.

3 Tertiò quia si dicamus,de facto fuisse applicata huiusmodi naturalia remedia ad temperandam nimiam istam frigiditatem,nullum sequitur absurdũ in Philosophia,aut aliquod contrà Fidem.

4 Respondeo dicendum.Naturaliter non posse

assignari vllum casum, quo quis per Christi gratiam præseruetur ab Originali.

5 Probatur primò quia Scriptura & PP. vniuersaliter docent, omnes ab Adam descendẽtes per seminalem rationem ex vi naturalis generationis contrahere originale peccatum, ideoque Tridentinum Sess. 5. de peccato orig. ca. 2. ait; *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per obedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanem transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est Animæ, anathema sit.* Ergo omninò fictitius est casus aliquis naturalis, & ex naturalibus causis inductus, quo quis per Christi gratiam præseruetur ab Originali.

6 Probatur secundò quia SS. PP. & Theologi communiter docent; nullum ex Sanctis habuisse Priuilegium immunitatis ab originali excepta B. Virgine, quam ideò docent, non solum potuisse præseruari, sed etiam de facto fuisse præseruatam speciali Christi gratia à peccato originali, eòquod esset vera Christi, & Dei Mater naturalis, quæ specialis ratio, cùm in nullo alio Sancto militet, aut militare possit. Chymericus est casus naturalis, quo alius quicunque ponatur de facto, vel de possibili præseruatus ab originali.

7 Ad primum Resp. Quòd in eo instanti, quo Mulier illa lethaliter vulneraretur, etiam dato quòd vulneraretur in loco remoto à fœtu, putà in collo

collo, vel capite Matris, fœtus ille non posset animari per antecedentes dispositiones, quæ cùm in suo fieri, esse, & conseruari dependeant ab esse, & vitâ Matris, hac sanè pereunte, per lethale vulnus sibi inflictum, etiam illæ dispositiones perirent, & desinerent esse, & ideò non possent vllo modo prodesse ad animationem fœtus, non ergo fœtus ille animaretur, atque adeò neque posset vllo modo dici præseruatus ab Originali per Martyrium, seu Baptismũ sanguinis.

8 Ad secundum Resp. Attemperari quidem posse nimiam illam frigiditatem à Deo, non quidem vt Auctore naturæ, sed vt ab Agente supernaturali, tùm quia fieret per causam simpliciter omnibus occultam, tùm quia talis attemperatio non fieret modo exigito ab ipsa natura, vt benè notat D. Thomas p. p. quæst. 105. art. 7. ad 2. *Supernaturale, & miraculosum dicitur aliquid non solùm propter substantiam facti, sed etiam propter modum, & ordinem faciendi, & quia est preter naturalem consuetudinem.* Deindè talis Infans non posset elicere actum amoris Dei in illo instanti primo Animationis suæ, quia deberet elicere actum cognitionis, at hic elici non potest sinè speciebus transmissis à sensu ad intellectum illius, quæ sanè species nullæ essent assignabiles in eo instanti; hinc est, vt impossibile omninò sit naturaliter, quòd ille Puer elicere possit actum amoris Dei, per quẽ præseruetur, nè contrahat peccatum originale.

9 Ad tertium Resp. Sequi absurdum tùm in Philosophia, tùm in Theologia si daretur, aut possibilis

bilis naturaliter esse ponatur ille casus; nam in Philosophia quidem sequeretur absurdum in primo casu assignato, quia supponeretur viuere fœtus, & animari sinè idoneis, & sufficientibus dispositionibus, & in secundo casu supponeretur fieri intellectio ab Anima vnita corpori sinè speciebus transmissis à sensu ad intellectum, cùm ex alia parte Axioma sit Aristotelicum 3. de Anima t. 40. oportet, intelligentem phantasmata speculari. In Theologia verò sequeretur absurdum in vtroque casu assignato, quia poneretur esse naturale id, quod esset præter naturalem consuetudinem, & ordinem naturalem; & præter dicta in Probationibus Conclus. sequeretur, facilè posse dici à quopiam Nouatore, accelerationem vsus liberi arbitrij in Christo Domino, & in B. Virgine non fuisse miraculosam, cùm tamen omnes Theologi, & PP. doceant communiter, accelerationem huiusmodi tàm in Christo Domino, quàm in B. Virgine fuisse miraculosam, & supernaturalem.

10 Quòd si adducti casus essent naturaliter possibiles, ex eorum possibilitate maximè promoueri causam immaculatæ Conceptionis, non esset dubitandum, quia quicquid honoris, & excellentiæ siuè naturaliter, siuè supernaturaliter possibile est, à Deo concedi puræ creaturæ, probabilissimum est, id omnè Deum de facto concessisse Matri suæ; ideoq; benè ait S. Anselmus lib. de Concept. B. Virg. cap. 4. *Et quidem quidquid dignum vnquàm de aliquo vltrà suam personam voluit, perperam est de Te, ò Beatissima Feminarum, noluisse.*

ARTICVLVS VI.

An Hominis Conceptio fiat in vno instanti Temporis Physico.

1 Videtur quòd non. Primò quia, quæ parum distant, nihil distare videntur per Aristot. sed secundum instans parum distat à primo, ergò nihil distat, & ideò Conceptio Hominis, quæ dicitur fieri in vno instanti temporis, complectitur etiã alterum, & secundum instans; seu fit in vno instanti morali, quod complectitur duo instantia Physica.

2 Secundò quia, Ecclesia celebrans Festum Cõceptionis B. Mariæ Virginis, dicit in Introitu Missæ, *Diem Festum celebrantes*, ergò Conceptio B. Mariæ Virginis, & similiter cuiuscunque Hominis non fit in vno instanti, sed in pluribus, quæ licèt moraliter sint vnum instans, physicè tamen sunt plura instantia.

3 Tertiò quia. Iob 3. de Nocte, in qua contrahitur Peccatum Originale, dicitur; *Pereat dies, in qua natus sum & nox, in qua dictum est, Conceptus est, Homo.* Sed Nox complectitur latitudinem temporis, & plura instantia, ergò Hominis Conceptio non fit in vno instanti physico, sed in pluribus, seu in vno instanti morali diuisibili in duo instãtia physica.

4 Sed contrà est. Dicendum, & cùm distinctione in hac materia procedendum, vel enim est Sermo de Conceptione prima, quæ est formatio carnis, coagmentatio fœtus, & organizatio corporis; vel de Con-

Conceptione secunda, quæ est Animatio, seu Creatio, & infusio Animæ; & quidem sicut certum est, Conceptionem primam fieri in pluribus instātibus, imò & in pluribus diebus, vt docet Arist. 7. de Hist. Anim. cap. 3. D. August. libr. 83. quæst. 56. Cyrillus lib. 10. de Ador. Ildephonsus Serm. 1. de Purific. ità certum omninò videtur, conceptionem secundam, quæ est infusio Animæ fieri in vno, imò vnico instāti, cùm enim Anima Rationalis sit indiuisibilis, & nullas habeat partes, non potest successiuè progressu temporis, & per partes post partes creari, & infundi, sed tota simul creatur, & infunditur à Deo, qui est Agens infinitæ Virtutis, cuius est proprium agere, & operari in instanti.

5 Et probatur vlterius: Primò quia Generatio cuiuscumque formæ substantialis etiam materialis, & diuisibilis fit in instanti, vt docent Philosophi omnes 1. de Gen. Ergò à fortiori productio, seu Creatio, & infusio Animæ Rationalis fit in instanti à Deo Agente virtutis infinitæ, non verò in pluribus instātibus, aut in vno instanti morali diuisibili in duo instantia physica.

6 Secundò quia. Gratia, quæ est Vita Animæ infunditur in vno instanti physico, non in duobus; vel in vno instanti morali diuisibili in duo instantia physica, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 113. artic. 1. ad 4. ergo & Anima, quæ est vita corporis infunditur in vno instanti; consequentia tenet, quia eadem est ratio de infusione Animæ, ac de infusione Gratiæ, nam ideò per D. Thomā ibi, Gratia infunditur in instanti, quia necesse non habet paulatim, & pro-

greſſu temporis diſponere materiam,ſed poteſt ſubito,& in inſtanti materiam diſponere, & formam infundere ea ratione,qua diaphanum,quia eſt ſecundum ſe diſpoſitum ad lumen recipiendum ſubitò,& in inſtanti à corpore luminoſo illuminatur in actu, quod enim Agens naturale non ſubitò poſſit diſponere materiam,contingit ex hoc, quod eſt aliqua proportio eius , quod in materia reſiſtit ad virtutem Agentis,& propter hoc videmus , quòd quantò virtus Agentis fuerit fortior,tantò materia citiùs diſponitur,quia ergo Virtus Diuina eſt infinita , poteſt quancumque materiam ſubitò diſponere , & ideò poteſt in inſtanti gratiam infundere;hæc autem Ratio æquè militat in infuſione Animæ , nam Deus carnem ſubitò,& in inſtanti diſponit, vt ſecundum omnes præſtitit in carne Chriſti, & eſt probabiliſſimum etiam idem præſtitiſſe in carne Beatiſſimæ Virginis;vel inuenit Carnem iam diſpoſitam,& organizatam ab Agente naturali,& ideò in materiam iam diſpoſitam ſubitò, & in vno inſtanti introducit Animam.

7 Probatur tertiò , quia Peccatum Originale contrahitur ab homine in eodem illo inſtanti , quo infunditur Anima,vt docet D.Thomas 3.par.quæſt. 27.art.1.ad 4.ſed Peccatum Originale contrahitur in vno inſtanti,non in duobus, non in vno inſtanti morali diuiſibili in duo inſtantia phyſica, ergò & in eodem inſtanti infunditur Anima. Verba formalia D.Thomæ loco cit.ſunt.*Peccatum Originale trahitur ex origine , in quantum per eam communicatur natura humana,quam propriè reſpicit peccatum originale,*

ginale, quod quidem fit, quando proles concepta animatur; ergo infusio Animæ nō fit in duobus instantibus, seù in vno instāti morali diuisibili in duo instantia physica.

9 Ad primum Resp. Quòd pariter tertium instans parum distat à secundò, atque adeò nihil, & ideò si Conceptio Hominis præter vnum, & primū instans includeret etiam alterum, & secundum, includeret quoque tertium, imò & quartum, quod parum distat, imò nihil distat à tertio, & sic vlterius procedendo infusio Animæ, & Conceptio Hominis complecteretur non solum secundum, & alterum instans, sed etiam plura instantia, quod nemo dixerit, ideò sistendum in eo est, vt dicatur Conceptio fieri in instanti vno, & vnico, itàvt tàm secundum, & alterum instans, ac alia subsequentia, impertinenter se habeant ad Conceptionem; & ideò benè ait S. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 1. ad 4. Quòd post animationem proles Concepta remanet in vtero materno non ad accipiendam naturam humanam, sed ad aliquam perfectionem eius, quod iam accepit; nō ergo Conceptio Hominis fit in duobus instantibus, seù in vno instanti morali diuisibili in duo instantia physica, vt intendit Argumentum.

10 Ad secundum Resp. Ibi loqui Euangelistam per synecdochen, accipiendo, nimirum, totum pro parte, idest, diem pro vno, & vnico illo instanti, quo completur B. Mariæ Virginis Immaculata Conceptio; neque enim par erat, vt Ecclesia in Introitu Missæ diceret, *Instans Festum celebrantes*, vt benè notat Episc. Plasen. in Prop. fol. 199. num. 47. & ratio vlte-

vlteriùs reddi poteſt, quia vel Eccleſia ibi per diem intelligit omnia inſtantia illius à primo vſque ad vltimum, & ſic in omni inſtanti debuit Anima B. Virginis eſſe Sancta, quod negant Aduerſ. vel celebrat aliquod inſtans, in quo fuit peccatrix, quod non poteſt dici, neque enim peccatum poteſt celebrari, & coli; vel demum celebrat ſolùm inſtans, in quo fuit ſancta, & ſic per ſynecdochen ſumit partem pro toto.

11 Ad tertium pariter Reſp. Scripturam ibi fuiſſe locutam per ſynecdochen accipiendo totum pro parte, vt ſuprà dixi de locutione Eccleſiæ in Introitu Miſſæ de Concept. B. Mariæ Virginis, neque enim loco cit. tantùm Scriptura vtitur eo modo figurato loquendi, nam etiam Gen. 46 legitur: *Cunctæ Animæ, quæ egreſſæ ſunt de fœmore Iacob ſexaginta ſex*; quem locum D. Thomas docet, eſſe intelligendum per ſynecdochen accipiendo partem pro toto; ait enim 1. part. quæſt. 118. art. 2. ad 1. In auctoritate illa ponitur per ſynecdochen pars pro toto, ideſt Anima pro Homine. Deindè ſi Hominis Conceptio complecteretur non ſolum primum, ſed etiam ſecũdum, & alterum inſtans, ſequeretur, quòd etiam cõtractio peccati originalis non compleretur in vno, ſed & in altero, & in pluribus inſtantibus, ſed hoc eſt falſum, & hactenùs inauditum, ergo ſicuti alterum, & ſecundum inſtans impertinenter ſe habet ad cõtractionem peccati originalis, ità etiam impertinenter ſe habet ad Conceptionem Hominis, & non niſi prorſus ineptè in Hominis Cõceptione duo figurãtur inſtãtia, in cõtractione peccati originalis, &

in Infusione Gratiæ, quando sufficit vnicum instans physicum indiuisibile; & nullo modo requiruntur duo instantia physica; vel vnum instans morale diuisibile in duo instantia physica.

ARTICVLVS VII.

An Peccatum Originale pugnet cum Idoneitate Maternitatis Diuinæ.

1 Videtur quòd non. Primò quia D. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 4. docet, solùm Peccatum actuale repugnare cùm Maternitate Dei, in hoc enim sensu intelligit illud Apostoli 2. ad Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial, ergo peccatum originale non pugnat, sed benè cohæret cùm idoneitate Maternitatis Diuinæ.

2 Secundò quia: Peccatum veniale nō pugnat, sed benè cohæret cùm Gratia Habituali, ergo etiam Peccatum Originale non pugnat cùm Diuina Maternitate, tenet consequentia nedum à paritate rationis, sed à fortiori, tùm quia Peccatum veniale est voluntarium, & Originale non est voluntarium, tùm quia Gratia habitualis est forma intrinsecè, & formaliter sanctificans, non sic autem Diuina Maternitas, ergo.

3 Tertiò quia: Peccatum Originale iam cōtractum non repugnat cùm Maternitate Christi adoptiua, seu spirituali, quâ quis faciendo Voluntatem Patris Mater efficitur Christi, ergo Peccatum Originale iam contractum in Conceptione non repugnat cùm Maternitate carnali, seu naturali; tenet cō-

sequētia à fortiori, quia maior est Maternitas spiritualis, seù adoptiua, quàm carnalis, seu naturalis, inquit enim Augustinus lib. de Virg. cap. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo verbum Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Et cap. 5. *Fuit & Maria laudabiliùs, & Beatiùs Mater Christi, quia fecit voluntatem eius, qui Cęlis est.*

4 Sed cōtra est Dicēdum. Peccatum Originale nō cohęrere, sed pugnare cum Idoneitate Diuinæ Maternitatis.

5 Probatur primò quia. Peccatum Mortale ex D. Thoma 3. part. quæst. 27. art. 4. pugnat cum idoneitate Maternitatis Diuinæ, sic enim resolutoriè, & magistraliter concludit. *Simpliciter fatendum est, quòd B. Virgo nullum actuale peccatum commisit nec mortale, nec veniale, vt in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.* Sed Peccatum Originale est ex suo genere mortale, nam à Trid. sess. 5. de Peccato Orig. appellatur mors Animæ, ergo repugnat cum idoneitate Matris Dei; & Ratio vlterius reddi potest, quia Peccatum mortale, vt probant communiter Theologi 3, part. vbi agunt de satisfactione Christi continet malitiam secundum quid infinitam, sed malitia secundum quid infinita repugnat cùm bonitate secundum quid infinita, quam esse in Maternitate Christi docet S. Thomas 1. part. quæst. 25. art. 6. in resp. ad 4. his verbis: *Beata Virgo ex hoc, quòd est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, ergo.*

6 Neque his obstat, quòd Peccatum Originale

non

non sit voluntarium; quia vt benè notat Ioan. Baptista Hacquetus Doctor non ignobilis Ord. Dominicani in suo Controu. Controuersia 32, in Resp. ad 1. Licèt esse voluntarium sit conditio requisita ad peccatum, tamen non est ratio formalis intrinseca illius constitutiua, & ideò non est maius, vel minus peccatum ex eo, quòd sit magis, vel minus voluntarium, vt ostēdi suprà art. 1 & ideò originale quamuis non sit voluntariū, adhùc intrinsecè, & formaliter habet infinitam malitiam, quę pugnat cum infinito bono, quod est in Diuina Maternitate; & quidem si actum lethaliter peccaminosum elicitum à voluntate Petri, v.g. malus Angelus poneret in voluntate B. Virginis, sinè dubio faceret illam nō idoneam ad Dei Maternitatem, quia adhuc contineret malitiam secundum quid infinitam pugnantem cùm Bonitate infinita secundum quid Maternitatis Dei, & tamen talis actus non esset voluntarius ex parte B. Virginis: Similiter si B. Virgo ex inaduertentia commisisset aliquod Peccatum graue, vel leue, non esset idonea Mater Dei, & tamen huiusmodi peccatum nō esset voluntarium defectu aduertentiæ requisitæ ad actum liberum, & voluntarium, ergò Peccatum Originale quamuis non voluntarium adhùc pugnat cùm idoneitate ad Diuinam Maternitatem ratione nimirum suæ malitiæ intrinsecæ secundum quid infinitæ.

7 Probatur secundò, quia Peccatum Veniale pugnat cum Diuina Maternitate, ergò à fortiori pugnat Peccatum Originale; tenet consequētia, quia Peccatum Veniale ex D. Thoma 1.2. q. 89. artic. 1.

ginale incurrit? Quis negabit D. Thomã respõsurũ, quòd sic, nam rationes etiam militant de Originali, vt in ea propriè impleatur illud, *Macula non est in Te*. Bellè Catharinus, huic exclamationi cõsonat, & applaudit loc. cit. his verbis. Tu ergo adde, quòd nec etiam impleretur, si originaliter peccasset. Hinc Iacobus de Voragine Antiquissimus Doct. Ord. Domin. ferè D. Thomę coęuus in serm. Quad. serm. 2. Sabbati 2. Dominicæ refert; D. Thomam hoc loco intulisse, & deduxisse B. Virginẽ fuisse sinè Peccato Mortali, Originali, & Veniali; eius verba formalia sunt. *Fuit enim, vt pulchrè deducit* S. *Thomas 3 p. q. 27. art. 4. Sine Peccato mortali, originali, & veniali*, ergo antiquus Textus D. Thomę æquè tollit ab idoneitate Matris Dei Peccatũ Originale, & Actuale; quare ergò in nouissimis Impressionibus operũ D. Thomæ abrasa est illa particula, *Originali*; quam in eo Text. agnouit Iacobus de Voragine, & ratio ipsa producta à S. Doctore appositam olim fuisse euidenter ostendit? Videat Deus, & iudicet.

9 Ad secund. Resp. Probabilem esse sententiã plurium Theologorum, Maternitatẽ Dei esse Formam intrinsecè, & formaliter sanctificantem, non secus ac est Gratia habitualis. Vide Martinez in suo Tract. de Ente supernat. Saauedram in Tractat. de Dei Maternit. Deindè Originale non esse voluntarium, non tollit ab illo rationem intrinsecam malitiæ secundum quid infinitę, quę ex intrinseca sui quidditate pugnat cùm bonitate secundũ quid infinita, quę est in Dei Maternitate ex dictis suprà.

10 Ad tert. Resp. Maiorem esse Maternita-

tem carnalem, & naturalem, quàm sit spiritualis, & adoptiua; primò quia, vt benè notat M. Albertus de Laud. B. Virginis cap. 180. illa est substantialis, hæc accidentalis. Secundò quia Maternitas carnalis includit spiritualem, & adoptiuam; quia non potest esse cum peccato, & sinè Gratia habituali, vt probatum est; at non è contrà, vt de se patet. Porrò D. Augustinus, quando dicit, Beatiorem, et laudabiliorem fuisse Mariam audiendo verbum Christi, quàm concipiẽdo carnem Christi, non comparat Maternitatem adoptiuam tantum cùm Maternitate naturali, sed complexum ex Maternitate adoptiua, & naturali cùm sola Maternitate naturali.

(§)

SECVNDA PARS

TRACTATVS THEOLOGICI.

VARIO ARGVMENTORVM GENERE
IMMACVLATA CONCEPTIO,
S E V
Præseruatio B. Mariæ Virginis à Peccato Originali.
PROBATVR.

Secunda Tractatus Theologici Pars complectitur Articulos XVI. Quorum

Immaculatę:Ex Votis & Iuramentis emissis pro Immaculata Conceptione colligatur Mariana Pręseruatio.

In VIII. *An ex Scripturis litteraliter intellectis colligatur Pręseruatio Mariana.*

In IX. *An ex Decreto Concilij Basiliensis pro Immaculata Conceptione bene colligatur Pręseruatio Mariana.*

In X. *An communis sensus SS.PP. & Doctorum Ecclesię sit pro Mariana Pręseruatione.*

In XI. *An Summi Pontifices Romani fuerint pro Mariana Praseruatione.*

In XII. *An ex Pio,& Communi sensu Emin.S.R.E. Cardinal. probetur Pręseruatio Mariana.*

In XIII. *An ex Pio, & communi sensu Episcoporum diuersarum Ecclesiarum probetur Mariana Pręseruatio.*

In XIV. *An ex Pio, & communi sensu Populi Christiani efficaciter probetur Pręser. Marian.*

In XV. *An exaudiendę sint Preces Principum pro Mariana Pręseruatione.*

In XVI. *An hę Propositiones Purè,& nudè prolatę* Pietas est fouenda non supprimenda. Deuotio est accendēda non extinguēda. *Sint dignę aliqua Censura,imò & Flāmis.*

ARTICVLVS I.

An obiectum Festi Conceptionis Immaculatę sit Pręseruatio B.M. Virginis à Peccato Originali.

1 VIdetur quòd non.Primò quia PP.Dominic.pręcipitur Festum Cōceptionis celebra-

lebrare, & simul permittitur, quod teneat Affirmatiuam opinionem Peccati Originalis in B. Virgine sed cùm ista opinione incompossibilis est Pręseruatio ab Originali, ergo quando præcipitur celebratio Festi, obiectum eius festi non potest esse Pręseruatio à Peccato Originali.

2 Secundò quia, Ecclesię Sãctę fixa est, & perpetua cõsuetudo colendi non nisi sanctitatem certam, & indubitatam, quod pro comperto habent S. Bernard. epist. ad Lugd. S. Ildephonsus lib. de perpetua Virg. S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 1. qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat; nũquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti Immaculatã; hoc enim adhuc est indefinitum, atq; adeò dubitationi subiectum.

3 Tertiò quia Rectè Bellarminus tom. 2. lib. 3. c. 16. de Cultu SS. Kemnitio respõdens argumẽtanti nos celebrare, quod nescimus, dum fatemur Controuersiam de Immaculata Conceptione adhuc indecisam; obiectum, ait, primariũ Cultus in hac celebratione esse quidem Gratiam Virgini collatam abstrahendo à tempore, seu instãti, quo collata fuerit, quod hausit ex S. Thoma 3. part. quæst. 27. art. 2. ad 3. docent, celebrari Festum Conceptionis ratione Sanctificationis eius factæ in vtero Matris, ergo Obiectum Festi non potest esse præseruatio à Peccato Originali.

4 Quartò quia B. Virgo est honore digna propter suam Conceptionem, non quia Immaculata

fue-

fuerit, ſed quòd mira extiterit, vt ſobriè, & prudentèr docuit Sixtus IV. in Extrauaganti.

5 Quintò quia antiquitus in Eccleſia celebratur Feſtum Sanctificationis B. M. Virginis ex conceſſione Iulij III. PP. Dominicanis, vt videre eſt in eorum Breuiarijs Antiquis, & ſolum nouiſſimis tẽporibus cæpit celebrari Feſtum Conceptionis à D. Anſelmo primum in Anglia, vt patet ex Baronio in Annotat. ad Martyrolog. Roman. die 8. Decem.

6 Sed contrà eſt dicendum. Obiectum Feſti eſſe præſeruationem B. M. Virginis à Pecc. Orig.

Probatur primò, quia obiectum Feſti Conceptionis eſt id, quod intendit, & ſentit Eccleſia celebrare, & colere, dum celebrat, & colit Conceptionem B. Virginis, ſed dùm colit, & celebrat Conceptionem B. Virginis, intẽdit colere, & celebrare Cõceptionem vt Sãctam, vt Immaculatam, vt Præſeruatã à Peccato Originali, ergo. Min. probatur, quia Eccleſia adequatè cõſiſtit in Capite, ſeù, S. Põtifice, & mẽbris, ſeù Fidelib⁹, ſed Fideles in primis celebrãtes, & colentes Conceptionẽ B. Virginis, intendunt colere, & celebrare aliquid ſpeciale in Conceptione B. Virginis, quod non eſt in Conceptione aliorũ Sanctorum, quamuis illuſtrium, & in vtero ſanctificatorum, quam proptereà nec colunt, nec celebrãt; & ex alia parte hoc ſpeciale, quod ab illis in hac Cõceptione Mariana celebratur, & colitur, non poteſt eſſe, niſi sãctitas eiuſdem, & immunitas à Peccato Originali; addito præſertim, quòd Fideles celebrãtes Feſtum Conceptionis Marianæ nullum diſcrimen faciunt inter hoc Feſtum, & alia Feſta Natiui-

tatis

catis, Præſentationis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis, in quibus omnibus colitur ſanctitas B. Virginis, & immunitas ab omni peccato, ergo.

7 Et quod idem ſenſus ſit in Summis Pontificibus præcipientibus hoc Feſtum; vel mandantibus, aut approbantibus aliquem actum Religionis, & Cultus ergà Conceptionem Marianam patet ex eorum Bullis, præſertim ex Bulla Iulij II. Innocentij VIII. Leonis X. Pauli V. Gregorij XV. Sixti IV. quas ad hanc rem & eruditè, & fusè expendit inter alios celebres defenſores negatiuæ, Ioan. Euſebius Nierembergius in ſuo tract. de perpetuo obiecto Feſti Concept. per tot. Satis ſit in præſenti ponderare, quòd Sixtus IV. in vtraque Bulla *Graue nimis* diſtrictè prohibet, Hæreſim eſſe dicere, quòd B. Virgo Concepta ſit in Peccato Originali, & quòd peccēt mortaliter id aſſerentes, tū Feſtū præcipit, & Indulgētias elargitur celebrantibus Feſtum: talis Feſti obiectū non poteſt eſſe Conceptio vt maculata Peccato Originali, verè enim qui coleret Conceptionem vt maculatam Originali, atque adeò qui Peccatum Originale coleret, non poſſet excuſari ab Hæreſi, & à peccató mortali, nec poſſet vllo modo Pontifex concedere Indulgentias colentibus Peccatum Originale, ergo Summus Pontifex præcipiens Feſtum Conceptionis in Bulla *Pręexcelſa*, & in vtraque *Graue nimis*, intendit obiectum talis Feſti eſſe Conceptionem, vt Immaculatam, vt ſanctam, vt præſeruatam ab Originali.

8 Probatur ſecundò quia Obiectum Feſti non poteſt eſſe niſi ſanctitas aliqua, vt ſupra dictum eſt

n 2.Argum.& certum est ex clarissimis verbis sanctorum ibi,& ex D.Augustino tomo 10. serm. 113. in die Festo S.Cypriani,quæ quia passim obuia sunt in omnibus scriptoribus, qui agunt de Immaculata, superfluum duxi recitare,& afferre , ergo obiectum Festi Conceptionis Marianæ debet esse sanctitas,& eius Præseruatio à Peccato Originali; consequentia tenet,quia non solum sancti præallegati,sed D.Thomas 3.part.quæst.27.art.1.ex eo infert, Natiuitatem B.Mariæ Virginis fuisse sanctam , & expertem Peccati Originalis,quia Ecclesia de ea celebrat Festum; *non enim*,inquit,*celebratur ab Ecclesia* Festum, *nisi pro aliquo sancto*,ergò.

9 Adeò rubustum,& efficax hoc Argumentum existimarunt quam plurimi nobiles Theologi,vt ex illo fortissimas intulerint consequentias , quibus Obiectum festi Conceptionis esse B.Virginis Præseruationem à Peccato Originali,inuictè concluditur, & quidem

EX ORDINE DOMINICANO.

10 Infert primò B. Ioannes Taulerus in tract. de 10.Cæcitatibus Cæcitate 4.c.11. *Quòd Ecclesia Conceptionem B.Mariæ Virginis pro certo , exploratoque habet , profana namque Festa non nouit Ecclesia.*

11 Infert secundò B.Ludouicus Beltram, quòd *si modo antiqui* PP. *viuerent,dicerent,scriberentque id,quod nos sentimus de Immaculata Cæli Regina.* refert Vinc.Iustin.in Addit.ad Vitã B.Beltram.§.vlt.

In-

12 Infert tertio Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanus in disp. pro Immaculata ad Synodum Trident. part. 2. *Quòd si modo viueret Turrecremata, & alij plurimi videntes Festum Conceptionis, Palinodiam canerent.*

13 Infert quartò Ioannes à S. Thoma 1. tom. in part. 1. disp. 1. art. 1. & 2. Quòd *si modo viueret Sact. Thomas idē diceret de sanctitate Conceptionis, quod dixit de sanctitate Natiuitatis, si enim ex sola tolerātia Ecclesię Romanę dixit, talem celebritatem non esse reprobandam, ex positiuo pręcepto, & fauore, quanto magis diceret venerandam!*

EX ORDINE SERAPHICO.

14 Infert primò Episcopus Acernen. in suo tractat. lib. 2. cap. 9. num. 2. *Non deuiare à vero asserentes sinè omni culpę macula irreprehensibilem Virginē fuisse Conceptam.*

15 Infert secundò Armamentarium Seraph. *Sanctitatem Immaculatę Conceptionis fore certam, non tamen de Fide.*

16 Infer tertiò Lucas Vvadingus in sua Legat. orat. 2. in finè, *Sacrosanctam, & Catholicam Ecclesiam profiteri Mariam ab Originali fuisse pręseruatam.*

17 Infert quartò Philippus Faber. in 3. d. 3. q. 1. disp. 10. num. 16. *Beatam Virginem esse conceptam sinè peccato Originali, alìas non deberet Conceptionem celebrare sed ex[illegible]; & ideò esse probabiliorem opinionem asserentem; B. Virginem esse Conceptam sinè Peccato Originali.*

E SOCIETATE IESV.

18 Infert primò Suarez in Opusc. de hac materia, *Negatiuam sententiam* Peccati *Originalis in B. Virgine esse probabiliorem.*

19 Infert secundò Gregorius de Valentia t.4. disp.2.quæst.1.part.2. *Quòd Ecclesia Fidelibus suadet hanc de Immaculata* B. *Virginis Cõceptione sententiam, & contrariam dissuadet.*

20 Infert tertiò Ioann. Eusebius Nierembergius; P*erpetuum obiectum huius Festi fuisse Immaculatam* Virginis *Conceptionem sinè labe Originali.* Ità in peculiari libello de Perpetuo Festo, in sua Theoria, denique in tract. de sanctitate huius Festi.

21 Infert quartò Salazarius in suo defensorio, cap.33. *Definitum esse, quòd sententia negatiua sit probabilior opposita.*

EX CLERO SAECVLARI.

22 Infert primò Marcus Antonius Palaù Decanus Oriolen. in libello la diffesa Dominicana, cap. 7. fol. 65.66. *Ecclesiam tenere* B. *Virginis Conceptionem Immaculatam, sanctam, &* Peccati *Originalis expertem ita expresse, vt omnem aditum varijs interpretationibus, & tergiuersationibus occludat.*

23 Infert secũdò Pesantius 1.2.disp.4.fol.400. *Sententiam negatiuam* Peccati *Originalis in B. Virgine esse approbatam ab Ecclesia.*

24 Infert tertiò Bonac. de legibus, quæst.1.p.3. concl.

concl.2.B *Virginem esse Conceptam sine* Peccato *Originali posse definiri à Summo* Pontifice *, tamquam dogma* Fidei.

25 Infert quartò Cosmas Philiarchus tom.1.de offi.lib.3.cap.20. *Ecclesiam per celebrationem Festi se declarare, quòd teneat Conceptionem Immaculatam, & sinè peccato, quòd non habeat locum illa Interpretatio D Thomę, qua Festum Conceptionis dicebat esse Festum sanctificationis post contractum peccatum, & quòd diceretur etiam Conceptionis, quia statim post Conceptionem fuit sanctificata, quia Ecclesia Romana vtramque sententiam distinguit, &* Festum *Conceptionis intelligit, quia fuit Immaculata, & sinè peccato.*

26 Adeò efficax, & robustum hoc Argumentū existimant aduersarij, vt spontè concedant non posse hunc nęuum vna spongia deleri, vnica responsione dissolui.

27 Respondent ergo primò; Celebrari Festum Conceptionis non per modum Cultus, & Adorationis, quòd sancta sit, sed per modum Gratiarum actionis, quòd maximum Beneficium, & magnorū Beneficiorum Arrha, & Pignus extiterit Conceptio B.Virginis Matris Dei, plura enim huiusmodi Festa est assignare tùm in lege Veteri, tùm noua, vti sunt Festa Hostiæ pacificæ, Inuentionis sanctæ Crucis, & huiusmodi.

28 Sed contrà est primò quia: hac eadem Responsione posset infringi Argumentum D. Thomæ probantis ex Festo Natiuitatis sanctitatem eiusdem, posset enim quis pariter respondere, Festum Natiui-

tatis

tatis non esse Festum Adorationis, & Cultus, quòd sancta sit, sed Festum Gratiarum actionis, quia magnum Dei Beneficium est, & magnorum Beneficiorum Arrha, & pignus extiterit; quòd nata sit Mater Dei; vel si hac responsione non infringitur Argumentum D. Thomæ deducentis ex Festo Natiuitatis sanctitatem eiusdem, neque infringitur Argumentum iam factum ex Festo Conceptionis sanctitatē eiusdem, & Præseruationem B. Virginis à Peccato Originali deducens.

29 Deindè hac eadem Responsione potuissent Canonici Lugdunenses facilè se expedire ab Argumento D. Bernardi reprehendentis Festum Conceptionis primæ, & seminalis, eo quòd esset incapax sanctitatis, & gratiæ, potuissent enim respondère, se celebrare illud Festum per modum Gratiarum actionis, non quòd esset sancta, & facta in gratia, & sic ineptè D. Bernardus reprehendisset Canonicos Lugdunenses ob celebrationem Festi.

30 Prætereà si vera esset allata Responsio, posset Ecclesia eodē modo celebrare Festū Cōceptionis S. Ioānis Baptistæ, Hieremiæ, imò & cuiuscumque alterius sancti, maximum enim Beneficium à Deo collatū est Humano Generi eo ipso, quòd ad gradum sanctitatis aliquem Hominem eleuat, & extollit; posset ergò institui Festum de Conceptione cuiuscumque sancti, non quòd sancta sit, & expers peccati, sed per modum Gratiarum actionis.

31 Deindè si Festum Conceptionis B. Virginis esset, & denominaretur Festum Gratiarum actionis, iam Festum Conceptionis posset celebrari sub alio no-

nomine,quam sub nomine Conceptionis, posset enim celebrari sub nomine Gratiarum actionis; At hoc est damnatum à Gregorio XV.in Bulla *Sanctissimus*,& priùs fuerat damnatum à Sixto IV. in Bulla Priori *Graue nimis* directa Prouinciali Lombardiæ,vt non sub alio nomine Conceptionis celebraretur Festum Conceptionis B.Virginis. Non me latet Aduers. vnam tantum constitutionem *Graue nimis* agnoscere;verùm duas fuisse, Monumenta PP. Minorum testantur, & Assertores negatiuæ vnanimi consensu recipiunt. Vide Theol. Marianam Pal. 4.Certam.3.num.509.

33 Denique dato,& non concesso, quòd tàm in Veteri,quàm in Nouo Testamento sint aliqua Festa instituta in Gratiarum Actionem,nunquã probabunt(sicut hactenùs probatum non est)Festum Cõceptionis Marianæ fore huius generis, nam neque huius generis est Festum Natiuitatis; & sanè Conceptio ipsa inchoata quædam Natiuitas est, & vltrò dabunt Aduers.Conceptionem esse Natiuitatem in vtero iuxtà illud Matth.1.*Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*; Præterea Dies Festi tàm in lege Veteri,quàm in Noua,vt Hostiæ Pacificę, Inuentio S.Crucis,& huiusmodi,ideò sunt in Gratiarũ actionem,quia in huiusmodi Festis habentibus pro obiecto res inanimas,nullum est periculum, quod aliquod non sanctum colatur,quia res inanimæ sicuti incapaces Peccati,& Gratiæ,ità incapaces sunt cultus,& Adorationis;At in Festo Cõceptionis B.Virginis,quia colitur Virgo ipsa vt Concepta, quæ est capax cultus,& Adorationis,si Festum esset nudum

Gra-

Gratiarum Actionis, esset periculum, nè aliquid nō sanctum coleretur, seù quod coleretur Peccatum, quod aliqui putant esse in Beata Virgine, & eius B. Virgo est capax, sicuti est capax Gratiæ, ideòque Festum Marianæ Conceptionis non potest esse Gratiarum Actionis.

34 Respondeāt secundò principaliter. Conceptionem Marianam dupliciter dici sanctam, vel dispositiuè, vt loquitur schola, vel formaliter, quòd sanctitate dotata sit, Volunt ergo Conceptionem non fuisse sanctam dispositiuè, quia in ipsa, & per ipsam proximè ad sanctitatem fuerit disposita, cùm statim post primum instans Conceptionis omnibus Gratię donis cumulata fuerit; vt sic dicamus, Ecclesiam non colere sanctitatem in Conceptione secutam, sed sanctificationem in Conceptione subsecutam, quam doctrinam, præcipuè probabunt, qui lacte Peripathetico imbuti illam Maximam Aristotelis probè intellexerint, *quę parum distant nihil distare videntur*. Cum igitur solum Instantis distantia intercesserit inter culpam, & Gratiam, qua nihil minus in temporis latitudine excogitari potest, rationabiliter, & absque animi hæsitatione asserere possumus Virginis Conceptionem, & sanctam fuisse, & vt sanctam celebrari.

35 Sed contrà est quia similiter posset quis eadem Responsione infringere Argumentum D. Thomæ deducentis sanctitatem Natiuitatis ex Festo eiusdem, posset enim quis dicere, non in ipsa Natiuitate, aut antè illam Beatam Virginem, sed in instanti immediatè sequenti, ad Natiuitatem ipsam posse

posse dici sanctam [redacted]; aut si non licèt hoc modo discurrere, & Philosophari de sanctitate Natiuitatis; neque hoc modo licebit discurrere, & Philosophari de sanctitate Conceptionis.

36 Potuissent similiter Canonici Lugdunenses infringere Argumentum D. Bernardi, illos perstringentis, quòd licita non esset celebratio Festi Conceptionis seminalis, & primæ; aut etiam secundæ, & Animationis, (vt intelligunt Aduers. locutum D. Bernardum in ea Epist.) potuissent enim Canonici Lugdunenses respondere, sanctitatem formalem non potuisse esse in Conceptione Mariana, siuè prima, & seminali, siuè secunda, & Animatione, benè tamen potuisse esse sanctitatem dispositiuam. Præterea posset etiam vi huius Responsionis celebrari Festum Conceptionis S. Ioannis Baptistæ, Hieremiæ, & cuiuslibet alterius sancti, quia Conceptio S. Ioannis Baptistæ, Hieremiæ, & cuiuslibet alterius sancti benè potest dici sancta dispositiuè, quia in ipsa, & per ipsam dispositi sunt ad sanctitatem formalem in Anima suo tempore consequenti recipiendam, sed hæc absurda sunt, & hactenùs inaudita, ergo.

37 Deindè si obiectum Festi Conceptionis esset sanctificatio subsecuta ad Conceptionem, æquè hoc Festum posset dici Festum *Conceptionis*, ac Festum *Sanctificationis*; At nomen Sanctificationis explosum, & proscriptum est ab hoc Mysterio primum à Sixto IV. in Bulla Priori *Graue nimis*, deindè à Gregorio XV. in Bulla, *Sanctissimus*, ergo obiectum Festi Conceptionis non potest esse sanctifi-

ſicatio ſubſecuta ad Conceptionem.

38 Præterea non video, qua ratione Conceptio ipſa, ſeu Animatio poſſit dici diſpoſitio ad ſanctitatem formalem, diſpoſitio enim debet eſſe proportionata formæ, ad quam diſponit, & debet eſſe eiuſdem Ordinis cum illa, vt docent Theologi omnes, qui propterea negant Attritionem naturalem eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad recipiendam Gratiam in Sacramento, idque colligunt ex Trid. ſeſ. 6. can. 6. ſeſ. 13. can. 3. ſeſ. 14. can. 4. ergò cùm Conceptio ſit merè naturalis non poteſt eſſe, aut dici diſpoſitio ad ſanctitatem formalem, quæ eſt ſupernaturalis.

39 Deinde ideò ſanctitas in Conceptione ipſa non poteſt eſſe obiectum cultus, quia vt dicebatur in Arg. 2. ſuprà, talis ſanctitas eſt incerta, & dubia, ſed ſanctitas ſubſecuta ad Conceptionem eſt incerta, & dubia æquè, ac eſt ſanctitas in Conceptione ipſa, imò eſt magis incerta, & magis dubia, quia nō eſt equè probabilis, ſed in gradu longe inferiori, ergò neque ſãctitas iſta ſubſecuta poteſt aſſignari pro obiecto cultus, & Adorationis.

40 Poſtremò ſic retorqueo Argumentum petitum ex illa Maxima Ariſt. *Quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur*, ergò cùm parum diſtet ſecundum inſtans à primo, atque adeò nihil; omninò ſequitur primum inſtans parum diſtare à ſecũdo, atque adeo nihil; ſed quia ſecundum inſtans parum diſtat à primo, ideò per Aduerſ. ſanctificatio dicitur facta in ſecundo inſtanti, ergò æquè benè poteſt dici facta in primo inſtanti, quod parum, imò nihil diſtat à ſecundo.

De-

41 Denique secundum instans subsequens ad Conceptionem, non spectat ad Conceptionem, sed est extrà illam, quia Conceptio fit in vno instanti tantum, non in duobus, vt probaui 1. part. art. 6. ergo si Ecclesia coleret sanctitatem in secundo instāti, non coleret sanctitatem Conceptionis, sed aliam diuersam, de qua non est controuersia vlla.

42 Respondent tertiò. In Festo Conceptionis duplex posse assignari obiectum; vnum principale, aliud minus principale; & quidem obiectum principale est certum certitudine Fidei Diuinæ, minus principale est certum certitudine piæ credulitatis; ità in Generalibus Concilijs, quando aliquid proponitur Fidelibus credendum; id, quod est principale obiectum Canonis, & decreti indubitata Fide creditur, id verò quod est minus principale, & opinionū diuersitate ventilatur, est tantum probabile. Huius rei euidentissimū habemus exemplū in Cōc. Later. sub Innoc. III. vt refertur in c. firmiter de Sūma Trinit. & Fide Catholica, quod sic habet. Deus de nihilo vtrāque condidit naturam, spiritualem, & corpoream, Angelicam, & Humanam; Perspicis hic duo determinari. Alterum principaliter, idest, Deum initio temporis vtrāque naturam condidisse de nihilo. Alterum minus principaliter, & consequenter, idest, creaturam Angelicam esse spiritualem; & quidem primum est certum certitudine Fidei, secundū tantum probabile. Philosophari consimiliter possumus de sanctitate Virginis in Conceptione, hanc enim primò, & principaliter intendit Ecclesia celebrare, ac proindè certa de Fide est; quia verò circun-

ſtantia temporis, quòd illa ſanctitas fuerit in inſtanti Cõceptionis, vel poſt, eſt minus nota, nõ eſt obiectum primarium cultus, ſed ſecundarium, ac proinde pia credulitate ſecundum varias ſententias creditum, & affirmatum.

43 Sed contrà eſt quia: eadem reſponſione poteſt infringi argumentũ D. Thomæ inferentis ex Feſto Natiuitatis ſanctitatem eiuſdem, poſſet enim quis illi reſpondere, obiectum primarium eius Feſti fuiſſe ſanctitatem, quòd autem talis ſanctitas fuerit in inſtanti Natiuitatis, vel poſt illud, eſſe obiectum minus principale, non ergo benè, & validè D. Thomas ex Feſto Natiuitatis deduceret ſanctitatem eiuſdem. Similitèr & Canonici Lugdunenſes potuiſſent facilè ſe expedire ab argumento D. Bernardi, illos arguentis, quòd celebrarent Feſtum Conceptionis primæ, ſeù ſeminalis, quæ eſt incapax ſanctitatis; potuiſſet enim reſpondere, ſe celebrare eam Conceptionem primam, & ſeminalem tamquam obiectum minus principale cultus, & Adorationis, obiectum verò principale talis cultus eſſe ſanctitatem Virginis, vel Animationis. Denique cuiuſuis ſancti Hominis poſſet Conceptio celebrari, aſſignando pro obiecto principali talis Feſti ſanctitatẽ illius in quocumque inſtanti talis ſanctitas fuerit ſiuè in eius Cõceptione, ſiuè poſt, talis enim circunſtantia eſſet obiectum ſecundarium. Quòd ſi tali Reſpõſione nõ infringitur argumentum D. Thomæ pro ſanctitate Natiuitatis, neque argumentum S. Bernardi contrà Lugdun. ergò neque infringitur, & ſoluitur Argumentum ſupra factum inferens ex Feſto Concep-

tio-

tionis Marianæ ſanctitatem eiuſdem.

44 Deindè circũſtantia temporis relatiuè ad ConceptionemMarianam non poteſt dici obiectum ſecundarium, quia Conceptio B. Virginis eſt affixa, & arctata ad vnum indiuiſibile inſtans, in quo fit, & peragitur, ergo ſi obiectum principale cultus eſt Conceptio, etiam inſtans in illa incluſum eſt obiectum principale, atque adeò ſecundum inſtãs, quod ad Conceptionem ſequitur, non ſolum non eſt obiectum minùs principale, ſed nullo modo eſt obiectũ cultus relatiuè ad Conceptionem extrà quam eſt, & ad illã nullo modo ſpectat.

45 Prætereà Eccleſia propter infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti non poteſt errare in cultu, & adoratione non ſolum relata ad obiectum primarium, ſed etiam ad obiectum ſecundarium, quia cultus ipſe, & adoratio non poteſt eſſe falſa, & fallibilis vllo modo, neque primario, neque ſecundario, ergo non poteſt habere pro obiecto ſecundario aliquod falſum, ſeù fallibile, aliàs ex orationibus, & precibus Eccleſiæ non deſumeretur argumentum infallibile ad ſæpè probanda dogmata fidei, vt præſtitit Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 22. 23. & haud vera eſſet ſententia Cæleſtini 1. legẽ credendi lex ſtatuit ſupplicandi, quam ſententiam repetit S. Auguſtinus in Agẽda pro mortuis, poteſt enim iſta regula, & ſententia Cæleſtini eludi per huiuſmodi diſtinctionem de obiecto primario, & ſecundario, niſi vtrumque dicatur certum, & infallibile in cultu, adoratione, & oratione; eſto quòd priuata perſona poſſit non ſolum licitè, ſed etiam meritoriè exhi-

hibere cultum, & adorationem circà obiectum solũ probabile; verum hic sermo est de cultu exhibito ab Ecclesia, quæ tollens diuersitatem nominum, præcipit omnibus colere Conceptionem sub nomine Cõceptionis, & ideò obiectum talis cultus siuè primarium, siuè secundarium, debet esse certum, & infallibile, quia vtrumque est propositum ab Ecclesia, & ideò Fideles in cultu, & adoratione Conceptionis B. Virginis, vt præscripta ab Ecclesia non debent sequi suás priuatas opiniones, & iudicia speculatiuà de Conceptione B. Virginis, sed practicè debent se conformare in cultu, & adoratione sensui, & intentioni Ecclesiæ Vniuersalis habentis pro obiecto Cõceptionem Marianam, vt sanctam, vt Immaculatam, vt expertem Peccati Originalis.

46 Ad instantiam adductam ex decreto Concilij Lateranensis; dico, aliud esse loqui de Decretis latis à Concilio Generali, vbi fortasse potest subsistere data doctrina de obiecto principali primario, & de obiecto minùs principali, seù secundario, & aliud est loqui de cultu, adoratione, & oratione proposita ab Ecclesia, quia in hac materia etiam obiectum secundarium, & minus principale debet esse certum, & infallibile. Dixi fortasè posse subsistere doctrinam adductam de decretis latis à Concilio Generali, quia exemplum adductum de Concilio Lateranensi non est ità certum, & exploratum, vt supponitur, non enim certum est, & exploratum in eo Canone non definiri, naturam Angelicam esse spiritualem, quia obiectum secundarium eius Canonis, nam Ferdinandus Velosillus in suis Aduer. ad 8.

tomum S. Hier. fol. 148. 2. quæſ. Tol. quæſ. 4. Proœmiali in lib. de Anima concluſ. 5. Peſantius 1. part. in tract. de Angelis diſp. 2. & alij ab ipſo ſuppreſſo nomine cit. putant, definitum eſſe in cap. illo firmiter, Angelum eſſe incorporeum, & ſpiritualem, quãuis id fuerit minus principaliter intentum. Præterea definitum eſt, B. Virginem caruiſſe peccato veniali per totam vitam, & tamen id non fuit principaliter intentum in Concilio Tridentino, vbi principaliter definitur, nullum *hominem per totam vitam poſſe vitare omnia peccata venialia, niſi ſpeciali priuilegio id obtinuerit à Deo*; poſteà ſubdit, *quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*; ergo aliquid quamuis non ſit principaliter intentum in aliquo Canone, & Decreto lato à Concilio Generali, poteſt eſſe, & de facto eſt certum de Fide, & tanquam de Fide definitum,

47 Reſpondent quartò. Credita in triplicem claſſem debere diſtingui, quædam enim ſunt Fide Diuina credita, vt Articuli Fidei, quædam piè credita, vt Crucis Inuentio, Apparitio S. Michaelis, quædam opinione credita, vt opinabilia omnia; hæc autem latiſſima differentia adinuicem ſeparantur, nã primi generis omni certitudine pollent, quæ in vltimo gradu collocantur, omni certitudine deſtituuntũr; quæ ſecũdi ſunt generis, pia credulitate, ſeù moraliter certa ſunt, ideò & quæ ſunt primi, & ſecũdi generis obiectum virtutis, atque adeò Religionis eſſe poſſunt, quia ad tale obiectum virtutis ſufficit certitudo moralis, vt patet in Virtute Pietatis ergà parentes, quos non niſi certitudine morali noſtros

eſſe

esse credere possumus. Adde secundum sententiam probabilem, pia tantum credulitate nos esse certos de Beatitudine Canonizatorum, nam pariter valorē Indulgentiarum nulla maiori pollere, & Reliquias SS. Hostiam consacratam pia solum credulitate subnixos absque temeritatis nota piè nos venerari. Quāuis ergo fateamur, Ecclesiam Vniuersalem Conceptionem B. Virginis celebrare, indè tamen nil magis euincent, quàm Conceptionem Immaculatam Virginis à Fidelibus celebratam, pia credulitate ab Ecclesia esse assertam.

48 Sed contrà est quia pro nūc sufficit Assertoribus negatiuæ, quòd Immaculata Conceptio sit piè credita, & moraliter certa certitudine proxima ad vltimam definitionem, quam nondum esse à Sancta Sede Apostolica emanatam, vltrò fatentur; & quidē in eam moralem certitudinem proximam certitudini Fidei, atque adeò proximam ad vltimam definitionem benè, & validè inducuntur defensores negatiuæ facto argumento de Festo instituto ab Ecclesia, attenta maximè paritate inter Festum Natiuitatis, & Festum Conceptionis fundata in auctoritate plurium sanctorum Bernardi, Ildephonsi, Augustini, Bonauenturæ, & præcipuè D. Thomæ, inferēis ex Festo Natiuitatis sanctitatem eiusdem, quæ tamen non est certa certitudine Fidei, sed certitudine proxima ad vltimam definitionem.

49 At non benè primò credita distinguuntur in triplicem illam assignatam classem, sic enim confunduntur ad inuicem Scientia, & Fides, opinabilia, & certa, quæ tamen esse toto cælo diuersa, quis me-

diocriter in puluere ſcholaſtico verſatus ignorat?

50 Non benè ſecundò intrepidè aſſeritur, pia tantum credulitate nos eſſe certos de Beatitudine Canonizatorum, nam licèt non negem, olim probabilem fuiſſe eam ſententiam, quam tradunt Caietanus tom. 1. opuſc. tract. 15. cap. 8. & Canus lib. 5. de locis c. 5. quæſt. 5. oppoſita tamen ſententia in præſenti longè eſt probabilior, ſanior, & communior, adeò vt Eminentiſſimus S.R.E. Card. Pallauicinus, ſeù eius Abbreuiator, in Hiſt. Conc. Trid. lib. 4. cap. 7. hæc habeat. *Oltra che l'impugnare nel Papa il Primato, e la Poteſtà d'adunar Concilij Ecumenici ſi cõdannaua ſino à quel tempo dalla Chieſa Romana, come Ereſia che diſtrugge i fondamenti della Fede, mà non ſi condennauano per heretici, quelli, che affermauano poterſi errare da Põtefici nelle Canonizationi, come materie di fatto benche ora vna tal ſentenza è rifiutata giudicandoſi, che appartenga all'Aſſiſtenza da Dio ſempre vſata verſo la Chieſa il non laſciarla ingannare in vn fatto di tal momento* Arriaga tomo 5. diſp. 9. ſect. 5. num. 3. eam opinionem dicit erroneam, vel temerariã, & ità ſentit Zanardus Doctor illuſtris Dominicani Ordinis in ſua direct. p. 2. fol. 400. vbi habet. Defendunt Hæretici, poſſe Papam errare in Canonizationibus SS. ità Vvicleph. Idem ſentiunt Lutherani, & Caluiniſtæ; In contrarium ſtat ſententia Catholicorum, & fol. 140. Practicè in ſingulari velle ſub dubio hoc ponere, hæreſim ſaperet, & paulò antè dixerat. Habet certitudinem infallibilis veritatis. Diana p. 11. in fin. tract. 3. reſol. 18. cum pluribus alijs, oppoſitam ſentẽtiam cenſet eſſe de Fide.

58 Non benè Tertiò resolutoriè dicitur, Valorem Indulgentiarum teneri tantum pia credulitate; nam valorem Indulgentiarum, seù Indulgentias validè à Summo Pontifice elargiri, tanquam Articulũ Fidei docent Theologi communiter omnes ex Cõcilijs Nicæno, Lugdunensi, Constantiensi, Viennẽsi, & ex Tridentino ses. 21. c. 9. & ses. 25. versus finẽ Videsis Bonacinam de Sacram. disp. 6. q. 1. p. 1. n. 5. Deniq; haud benè dicitur absolutè, & resolutoriè, Reliquias esse adorandas, teneri pia tãtum credulitate, nam id esse Articulum Fidei probant Bellarminus tom. 2. controu. lib. 2. c. 3. Puteanus tomo 2. q. 25. ar. 6. dub. 1. & Alij, qua in re satis clara sũt verba Concilii Nicęni 11. quod est dictum septima Synodus act. 2. *Seruator noster Christus, Fratres, fontes salutares sanctorum reliquias nobis reliquit multis modis beneficia fundentes*. Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 62. & in Trid. ses. 25. cap. 20. & quidem in Concilio Nicæno 11. Decretum est sanctorum Reliquias esse venerãdas, idque fuit principale obiectum non solum eius actionis secundæ, sed illius Concilii; Et quia per Ad vers. ex anteà dictis, principale obiectum Decreti est Articulus Fidei, non potest non euidenter concludi, Reliquias esse venerandas, esse certum certitudine Fidei Diuinæ, non verò haberi pia tantùm credulitate. Esto, An hæc sit Reliquia alicuius sãcti, An hæc reliquia sit adoranda, pia tantùm credulitate teneatur: Hostiam consecratam non esse adorandam, illi negant, qui negant realem Christi præsentiam in illa; esto, An hæc Hostia sit consecrata, An

hæc

hæc ſit adoranda,pia tantùm credulitate, & morali certitudine teneatur,ſicut licèt de Fide ſit, Summũ Põtificem eſſe Chriſti Vicarium,& Petri ſucceſsorem,pia tamẽ credulitate,& morali certitudine tenemus communiter, hunc vel illum Põtificem eſse Chriſti Vicarium;dixi communiter, quia nõ desũt aliqui, vt Azorius inſtitut.Moral.par.2.lib.5.cap.5. qui putant, Fide Diuina credendum eſſe,hunc; vel illum,qui nunc clauum Eccleſiæ tenet, eſſe verè, & propriè Summum Pontificem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium in Terris; & quidem hæc omnia clarè,& dilucidè ſunt diſtinguenda, & commiſcendus non eſt panis Azimus cùm fermentato.

52 Ad primum Reſp.Benè poſse,Summũ Põtificem præcipere Feſtum Immaculatæ Cõceptionis,fauere Immaculatæ Conceptioni,velle,& intẽdere obiectum Feſti eſse Immaculatam Cõceptionem,ſeù Marianam Præſeruationem;& ſimul permittere iudicium ſpeculatiuum de Affirmatiua, & contraria ſententia, quia præcipere Feſtum Immaculatæ Conceptionis, Immaculatæ Cõceptioni fauere,velle obiectum Feſti eſse Marianam Præſeruationem, non eſt illã clarè definire, vel expreſsè declarare tanquam Articulum Fidei;nam ſi Immaculatam Conceptionem definiret, & expreſsè declararet tanquam Articulum Fidei,tunc in eo caſu nõ poſſet PP.Dominicanis, nec vlli alii permittere iudicium ſpeculatiuum de Affirmatiua, & oppoſita ſententia, quia non poteſt Summus Pontifex permittere iudicium ſpeculatiuum alicui de obiecto contrario Articulus Fidei à ſe definitis, non ergo

ſunt incompoſſibllia iſta duo, Summum Pontificē fauere Immaculatę Conceptioni, intendere, & velle obiectum Feſti eſse Marianam Præſeruationem, & permittere iudicium ſpeculatiuum de Affirmatiua, & oppoſita ſententia.

53 Ad ſecundum Reſp. Obiectum Feſti debere eſse certum, & indubitatum, nō quidem certitudine Fidei Diuinæ, & cui metaphyſicè non poſſit ſubeſse falſum, ſed certitudine morali, & cui moraliter non poſſit ſub eſsē falſum, patet enim quòd Ecclesia celebrat Feſtum Natiuitatis, & Aſsumptionis B. Virginis, in quibus eſt moralis certitudo, non certitudo Fidei, vt eſt inconfeſso; & per Aduerſ. Reſp. 4. vbi ſuprà, ad exhibendum cultum Reliquijs, Hoſtiæ cōſecratæ, Sanctis ab Eccleſia Canonizatis ſufficit certitudo moralis, ſeù piæ credulitatis. Cęterū quòd Cōceptio Immaculata B. Virginis ſācta ſit, & expers Originalis eſt certum certitudine morali, & piæ credulitatis, & cui non poteſt ſubeſse falſum; neque enim huic certitudini obſtat, quòd de ea ſāctitate aliqui (qui & ſilere iubentur) dubitent; nam tria eſse principia rerum naturalium, & dari motū ſenſibus euidentiſſimum, eſt certum, quāuis de illo terno numero Principiorum aliqui dubitauerint, ſicut Zeno de motu; de aliquibus Articulis Fidei Hęretici dubitāt, de omnibus Pagani; An Deus ſit, dubitauit ille inſipiens, qui dixit in corde ſuo, non eſt Deus: De Articulo Dominicę Reſurrectionis dubitauit S. Thomas Apoſtolus, & tamen quis proptereà dicet, hæc certa non eſse, & infallibilia?

54 Dices Feſtum Conceptionis B. Virginis cele-

lebratur die 8.Dec.sed ea die nõ fuit Cõceptio Immaculata,seù infusio Animę,sed sola carnis,seù coaugmentatio fœtus,ad quàm post 80. dies ex communi sentẽtia Medicorum consequitur Animatio, seù infusio Animæ,ergo obiectum Festi,non potest esse Animatio,seù Conceptio Immaculata.

55 Resp.primò Episc.Plasentinus in Prop.fol. 294.n.40.Ecclesiā rationabilibus ex causis aliquãdo postponere,aliquãdo anticipare Festa absq;vllo prę iuditio sanctitatis, quæ in Festis colitur; sic anticipat Festum Resurrect. Dom.in die Sab. sancti, & Festum S.Dominici die 4.Augusti,licèt eius obitus acciderit die 6. Festum Visitationis celebrat die 2. Iulij,& tamen B.Virgo, eo die, quo fuit salutata ab Angelo visitauit Elisabeth;ità benè potest Ecclesia in die coagmentationis fœtus anticipatè celebrare Festum Conceptionis;seù Animationis Immaculatæ, quia non est adeò certum, vt supponitur quòd post 80. dies in fæminis fiat Animæ Infusio.

56 Resp.2.Alij vt Granadus,Poza,Calderon, & Nouarinus, speciali miraculo in eodem instanti carnem B.Virginis fuisse organizatam,& illi Animã vnitam,atque infusam,& ideò benè Ecclesia eo die celebrat Animationem,seu Conceptionem Immaculatam.

57 Resp.3.Quòd sicut Ecclesia tempus præteritum reducit ad præsens,quia eo die canit,Cõceptio est hodiè S. Mariæ Virginis, ità etiam futurum reducit ad præsens celebrando in die coagmẽtationis fœtus,Infusionem Animæ,nam eodem modo se habet futurum relatiuè ad præsẽs,ac se habeat præteri-

teritum,quia vtrunque non est;& sic dato,quòd Animatio consecuta fuerit 80. diebus post coagmẽtationem fœtus,benè potest Ecclesia Conceptionẽ, seù Animationem Immaculatam habere pro obiecto Festi in die coagmentationis fœtus;

58 Ad tertium Resp. Nihil ex S.Thoma trãscripsisse Bellarminum; non enim dicit Bellarminus in Festo Conceptionis coli primam Gratiam collatam Virgini abstrahẽdo à tempore,vel instanti,quo collata fuit;nil tale est reperire in cit.tex.Bellarmini,sed tãtus Vir vni Hæreticorum Argumẽto duas affert solutiones; vnam iuxtà propriam, & Piã sententiam;alteram iuxtà sententiam Aduersariorum, & tenentium Affirmatiuam ; incumbebat enim illi onus respondendi Hosti, & Aduersario communi vrgenti contrà Ecclesiam,& contrà omnes,ac singu las eius partes;Prima ergò Responsio est;*Maiorem partem Ecclesię piè credere Immaculatam*. Secunda est;*Fundamentum præcipuum huius Festi nõ esse Cõceptionem Immaculatam sed Conceptionem Matris Dei futurę, qualiscumq; enim fuerit illa Conceptio, eo ipso quod fuerit Conceptio Matris Dei, singulare gaudiũ affert Mundo eius Conceptio,tunc enim priùs habuimus pignus certum Redemptionis*. Deindè ad Replicam Aduers. seù Hæreticorum; quòd hac ratione posset etiam celebrari Conceptio S. Ioannis Baptistæ;Respondet, latam esse disparitatem inter Conceptionem S.Ioannis Baptistæ, & Marianam, quia istam maior pars Ecclesiæ piè credit esse Immaculatam,non illam.Ex quibus patet,Bellarminũ firmissimè stare pro Immaculata,tanquam obiecto

Festi,

Festi,idquę bis asserere;In secunda Resp. Assumere personam tenentium maculatam,aliàs enim sibi cō. tradiceret in breui clausula verborum,quod de tanto viro non est suspicandum;nam etiam data,& nō concessa sententia maculante Conceptum B.Virginis,adhùc non vrget,quod opponūt Hæretici adducto illo Argumento,nimirum nos adorarę,& colere,quod nescimus, quia in tali casu ageretur Festum de Conceptione Matris Dei,vt certo pignorę Redemptionis nostræ,& ità ageretur de aliquo nobis certo, & indubitato.

59 Ad Auctoritatem D.Thomę dico.D.Thomam loco cit.loqui de Conceptione seminali,quādo dicit,Festum Conceptionis esse referendum ad sanctificationem,quia nimirum Cōceptio seminalis non est capax sanctificationis,& Festi;non verò eum loqui de Conceptione sumpta pro Animatione,aliàs non soluisset Argumētum sibi propositum, quod erat de Conceptione seminali,quę fit antè Animationem;En verba Argumenti positi,seù veriùs oppositi, ad quod citatis verbis respōdet D.Thom. *Non celebratur Festum nisi de aliquo Sancto,sed quidam celebrāt festum Conceptionis B.Virginis,ergo videtur,quod in ipsa Conceptione fuerit sancta, & ità quod ante Animationem fuerit sancta.* Eccè quòd Argumentum oppositum D. Thomæ procedit de Conceptione,quæ est antè Animationem; At Cōceptio antè Animationem non est, nisi seminalis, ergo si Responsio D. Thomæ debet soluere Argumentum sibi obiectum, debet omninò D.Thomas loqui de Conceptione seminali,aliàs saltasset extrà

Cho-

Chorum,& Responsio ab eo allata non respōdisset Argumento proposito,quod est absurdum.

60 Ad quartum Resp. Conceptionē Marianā fuisse miram, quia fuit Immaculata, & Præseruata ab Originali;non quia fuit ex sterili;nam ex hoc capite plebeia est,& vulgaris,non mira, & extraordinaria, concipi enim ex sterili competit aliis sanctis pluribus.Hinc est,vt Sixtus IV.Cōceptionem, quā appellat Mirā in Bulla *Pręexcelsa*, appellat Immaculatam i nvtraque Bulla,*Graue nimis*,quę sanè vtraque Bulla non potest non esse adamussim cōsona Bullę *Praexcelsa*.Deindè quādo Sixtus IV.Cōceptionem B.Virginis appellat Miram,pręmittit in Narratiua:A se *perserutata esse deuotę considerationis indagine & intrà pectoris arcana reuoluta merita insignia & pręexcelsa* B.*Virginis*. At concipi ex sterili non cohæret cùm præexcelsis meritorum insignibus,quia triuiale, & plerisque aliis commune est;secus verò concipi sinè Originali,& cùm Gratia Pręseruatiua benè cohęret cùm pręexcelsis insignibus meritorum, vt patet, ergò nè dicatur Summus Pontifex hiulscam,& minimè cohęrentem orationē struxisse,dicēdum est omninò, pro Mira intellexisse,IMMACVLATAM,idest,exclusum Peccatum Originale per infusionem Gratiæ sanctificātis,quę est primum principium meritorū; & si vbertim, atque copiosè collata fuerit,vt verè fuit collata B.Virgini,est principium Præexcelsorum insignium meritorum.

61 Ad quintum Resp.Quòd etiam dato, & nō concesso,Festum Conceptionis cæpisse tēpore D. An-

Anſelmi in Anglia,adhùc erit Antiquius Feſto ſan-ctificationis,quod dicitur conceſſum à Iulio III. qui vixit Annis 441.poſt D.Anſelmum, Diuus enim Anſelmus floruit Anno Domini 1109. Iulius verò III.vixit Anno Domini 1550.Verum vt huic Argumento pleniùs Reſpondeatur,ſit

ARTICVLVS II.

An Feſtum Conceptionis Primùm cæperit tempore D.Anſelmi in Anglia.

1 Videtur quòd ſic.Primò quia de Origine Feſti Conceptionis hæc habet Baron.in Annot.ad Martyr.Rom.die 8.Decem. *Ex quibus omnibus ſatis compertum habetur, eius modi celebrationē in Anglia primùm celebrari cęptam, eidemque fuiſſe S.Anſelmum, qui & de Conceptione Virginis Commentarium ſcripſiſſe fertur,ſed an eius ſit, meritò à multis ducitur in controuerſiam, cùm habeat multa, quę eidem Anſelmo repugnāt, vt notat Ioannes de Turrecremata in Tract.de Verit.Concept.par.12.ca. 9.& 10.Poſteà,vt dicitur,accepit eam Eccleſia Lugdunenſis,ſed non ſine controuerſia. Acceſſit demum Romanę Eccleſię aſſenſus, atque Decretum, nouiſſimè Sacrum Concilium Trident. ac Pius V.Rom. Pontifex eam ſeruandam eſſe firmarunt.* Ergò tempore D. Anſelmi in Anglia primùm cæpit hoc Feſtum Immaculatæ Conceptionis.

2 Secundò quia :Si hoc Feſtum non cæpit primum in Anglia,maximè quia in Menologio Græco edito à Genebrardo habetur Feſtum Immacula-

tæ Conceptionis, sed Festum Conceptionis, quod ponitur in tali Menologio Græco edito à Genebrardo die 9. Decembris ponitur vt Conceptio B. Annę, & Conceptio B. Virginis ponitur die 25. Martij, quę est Conceptio Actiua, non de eo, quod ponitur die 9. Decemb. quæ est Conceptio passiua, ideòque dicitur Conceptio B. Annæ, ergo ex Genebrardi Menologio non arguitur Festum Conceptionis fuisse antè D. Anselmum.

3 Tertiò quia: Festum Conceptionis non celebratur à PP. Dominicanis, nisi post Gregorium XV. anteà enim ab illis ex concessione Iulij III. celebrabatur Festū Sanctificationis, ergo non nisi nouissimis diebus cæptum est celebrari Festum Conceptionis. Imò & in Ecclesia S. Mariæ Maioris Romæ, vt habetur ex Aluaro Pelagio Episcopo Syluinensi ex Ordine Seraphico, lib. 2. de Planctu Ecclesiæ, cap. 52 celebratum est Officium, & Missa Sanctificationis quindecim dies continuos antè Festum Natiuitatis Dominicæ in die Conceptionis B. Mariæ Virginis, ergò non nisi nouissimè introductum est Festum Conceptionis.

4 Sed contrà est dicendum; Nempè antiquissimis temporibus cæpisse Festum Immaculatæ Conceptionis, tùm in Anglia; tùm in alijs Christiani Orbis Ecclesijs, & locis.

5 Probatur primò quia: Antiquitatum Ecclesiasticarum eruditissimus Baronius loco cit. notat, antè tempora D. Anselmi factam diuinitùs Reuelationē de hoc Festo celebrando, & in testimonium Fidei veritatis subsecutum esse Miraculum. Audi verba.

Et

Et licèt ea Reuelatio eodem fermè modo, vt ſcribit, ſe habuerit, tamen ea Reuelatio non eſt facta Anſelmo, ſed alÿ, qui nec eo tempore, quo ille factus eſt Epiſcopus Floruit, ſed paulò antè circa Annum Domini 1070 *cùm Guilelmus Normandorum Dux regnaret in Anglia, quando Elſino, aliàs Elpino Anglo Abbati maris tempeſtate periclitanti diuinitùs quoddam viſum apparuit, eumque admonuit de huiuſmodi celebranda Feſtiuitate; ſubſecutumque eſt Miraculum in Fidei Veritatis teſtimonium.* Cum ergò D. Anſelmus floruerit Anno Domini 1109. ex eodem Baronio ibidem manifeſtè deducitur, hoc Feſtum cæptum celebrari antè tempora D. Anſelmi.

6 Probatur ſecundò quià: D. Anſelmus, vt habetur ex quadam eius Epiſtola ad Co Epiſcopus Angliæ, illos exhortās ad hoc Feſtum celebrandum ait. *Olim in Frācia, & alÿs mundi climatibus celebrandū fuiſſe declaratum hoc Feſtum.*

7 Et quidem pariter in Anglia à Beda Venerabili, qui Floruit Anno Domini 731. appoſitum fuiſſe in ſuo Martyrologio Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis die 8. Decembris, referunt Epiſcopus Acren. in ſuo tract lib. 2. cap. 9. Ioannes de Tamayo, & Salazar in ſuo Martyrologio Hiſpano, Ioann. Euſebius Nierembergius in ſuo tractat. de Perp. Feſto, cap. 3. Denique Ioannes Molanus Louanienſis, qui Martyrologium Vſuardi recudendum curauit Louanij Anno Domini 1568. teſtatur, Vſuardi Martyrologium non diferre à Martyrologio Bedę, & Euſebij Pamphili Hiſtorici, qui floruit tempore Conſtantini Magni, at in Martyrologio Vſuardi

ta est adnotatum Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis die 8. Decembris; ergo etiam tale Festum adnotatum fuisse in Martyrologio Eusebij Pamphili, & Bedæ, non est dubitandum. Porro Bedæ Martyrologium inuenies inter eius opera impressa Basileæ tom. 3. & in minori forma redactum à Christophoro Plantino Anno Domini 1564. refert idem Molanus in Adnot. ad Martyr. Vsuardi: à Friderico Patriarcha Aquiliensi in suis Ecclesijs Anno Domini 897. fuisse hoc Festum celebratum, testantur Gauantus in Manuali tom. 2. sect. 7. cap. 2. num. 8. & Liber 4. Lighi Vitæ.

8 In Ecclesia Græca antiquissimo tempore fuisse hoc Festum celebratum,

9 Conijcitur primò quia tale Festum sicuti est adnotatum in Martyrologio Vsuardi, ità fuisse adnotatum in Martyrologio Eusebij Pamphili scriptoris Græci tempore Constantini Magni (si verum est, quod ait Molanus vbi suprà, nempè Martyrologium Vsuardi esse idem cum Martyrologio Eusebij Pamphili) non est dubitandum, additis duntaxat quibusdam alijs Martyrum nominibus, qui passi sunt post Eusebium.

10 Conijcitur secundò, quia refert Baronius vbi suprà, compositam esse Orationem de pura Conceptione à Leone Imperatore, qui cognominatus est Sapiens, seu Philosophus, qui floruit Anno Domini 731. Verùm hanc Orationem recitari solitam in die Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, vsus Ecclesiæ ad hæc vsque tempora inuiolabiliter retentus, ostendit. Demum tempore Gregorij Nazianzeni, qui floruit

ruit Anno Domini 390. vel tempore D. Ioannis Chrysostomi,qui floruit Anno Domini 721. celebratum fuisse hoc Festum Immaculatæ Conceptionis,refert Galatinus lib.7.c.4.& 5:

11 Apud Syros,Armenos,AEgyptios ad Fidē Christi conuersos à D.Marco Euangelista celebratum fuisse hoc Festum, colligitur ex Martyrologio D.Hieronymi,qui floruit Anno Domini 360.& scripsit lingua Syra,cuius ille erat peritissimus; de hoc Martyrologio Hieronymi Fidem facit Beda Retractat.in Actus Apostolorum,cap.1.Bollandus in Præfatione ad Vitas SS.cap.4.§.4.vbi dicit,Martyrologium Hieronymi inuentum esse ab Heriberto Rosuueido in Carthusia Treuirensi vetustissimo Charactere exaratum,cuius Titulus erat, *Christe faue nobis*,sed & Hieronymum aliud scripsisse, seu verius ex Græco in Latinum vertisse Martyrologium,quod erat Eusebij Pamphili,refert Molanus vbi supra.

12 Verum iam indè à tempore Apostolorum præceptum esse in Regnis Hispaniarum Festum Immaculatæ Conceptionis Marianæ;Theologi,& Historici eorundem Regnorum testantur apertissimè, ità Lutius Flauius Dexter Barchinonensis,& Theodosij Imperatoris Cancellarius in lib. omnimodæ Historiæ.Paulus Orosius,S.Augustini Discipulus,vt refert Posseuinus lib.16.Bibliothecæ S. li.3.cap.22. S.Maximus Cæsar Augustanus Episcopus, cuius verba dabo infrà in sacra Centuria Veterum SS.PP. lit.M.Tritemius sub Ildephonso,Salazar.c.35.n.53. sub Gundisaluo Anno Dom.800.hoc Festum cœpisse testantur.Gauautus vbi supra refert ex Fide.

De-

13 Deniq; Bernardinus de Bustis in suo Mariali part. 1. serm. 9. part. 3. refert quasdam Visiones cælitùs factas de hoc Festo antiquitus ab Angelis celebrato; quæ nè minùs solidè afferri videantur, Audi S. Vincẽtium Ferrerium serm. 2. de Natiuit. B. V. ità loquentem de Conceptione Mariana. *Nè credatis, quòd fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, nascimur, & nutrimur, sed statim ac Anima B. Virginis fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in Cælo fecerunt Festum Conceptionis.* Hinc satis probabile redditur, quod ait Catharinus Doctor Ord. Domin. disp. pro Immacul. ad Synodum 2. p. n. 108. occulta Dei Inspiratione cæpisse hoc Festum ab aliquibus Ecclesijs celebrari.

14 Ad primum Resp. ab eodem Baronio paulò antè relata verba in Argumẽto satis clarè, & dilucidè indicatam esse huius Festi antiquitatem, Institutionem factam diuino admonitu, & subsecuto miraculo confirmatam; & quidem si verum est, quod ait idem Baronius in sua Præcapit. dicendorũ ad Martyr. Rom. cap. 9. cætera omnia Martyrologia à Romano duxisse Originem, ab eoque veluti è fonte riuos dimanasse, quia in antiquissimis Martyrologijs Bedæ, Hieronymi, & aliorum, reperitur adnotatum Festum Conceptionis Marianæ die 8. Decemb. satis probabile redditur in ipsa Romana Ecclesia antiquissimo tempore celebratum fuisse hoc Festũ, esto, quòd refrigescente deindè Fidelium Caritate, ac Pietate, reparatum, seù instauratum iterum fuerit primum in Anglia, deindè in Romana Ecclesia.

15 Prætereà si res attentè pensetur, huius Fe-

sti institutio in Ecclesia Romana, æquè est antiqua, ac fuerit antiqua institutio Festi Natiuitatis B. Virginis relatiuè ad tempus, quo floruit S. Bernardus, qui visus est approbare Festum Natiuitatis, & non approbare Festum Conceptionis ob sui nouitatem, nam sæculis circiter sex ante D. Bernardum, qui floruit Anno Domini 1140. cœperat Festum Natiuitatis celebrari, nempè tempore Concilij Ephesini primi Anno Domini 431. vt probabile censet Azorius part. 2. lib. 1. cap. 19. q. 1. & f. 9. at Festum Conceptionis cœpit tempore Elsini Abbatis, à quo usq; ad nostra tempora, quibus ex decreto Ecclesiæ Romanæ celebratur Festum Conceptionis, fluxerunt pariter sæcula circiter sex, floruit enim Elsinus Abbas paulò ante tempora D. Anselmi, nempè anno Domini 1070. ex Baronio vbi suprà; Ergo Festum Conceptionis eadem gaudet antiquitate nunc, quam habuit festum Natiuitatis tempore D. Bernardi. Quòd si eundem Baronium in notis ad diem 8. Septembris & auctorem Breuiarii Chronologici sequi velimus, qui volunt festum Natiuitatis cœpisse celebrari post tempora Caroli Magni, & Ludouici Pij, qui floruerunt anno Dom. 813. antiquius erit festum Conceptionis à tempore Elsini Abbatis ad hæc nostra tempora, ac fuerit festum Natiuitatis relatiuè ad tempus D. Bernardi, inter quem, & festum Natiuitatis non fluxerunt, nisi anni 400. ab Elsino Abbate ad hæc nostra tempora fluxerunt anni circiter 590. vt benè supputanti patet.

16 Postremo, esto noua, esto nouissima sit institutio festi Conceptionis; quid indè? nullum ex tali

no-

nouitate præiudicium infertur Immaculatæ Conceptioni, nam etiam festum Corporis Christi nonnullis ab hinc annorum Centuriis, nempè tempore Vrbani VI. viuente adhùc S. Thoma, qui eius festi Officium ordinauit, institutum est, ac proindè satis recens est, & nuperum relatiuè ad alia festa Dominica, & tamen nullũ ex hac nouitate infertur præiudiciũ eius festi excellentiæ, sanctitati, aut solemnitati; festum Præsentationis B. Virginis recens est, ac nuperrimum, tempore scilicet Pij II, institutum, deindè cũ fuisset à Pio V. expunctum, à Sixto V. renouatũ est, & tamen nullum ex ista nouitate præiudicium infertur B. Virginis Præsentatæ sanctitati, & Puritati; nonnè nouissimum est festum S. Thomæ Villanouani relatiuè ad festa sanctorum Primitiuæ Ecclesiæ, & tamen quodnam præiudicium infertur sanctitati S. Thomæ Villanouani? Ratio est, quia vt benè notat Salazarius in suo Defens. Quidquid Ecclesia præcipit, vel de nouo instituit, Spiritu sancto inspirata, ab Apostolis edocta pręcipit, instituit.

17 Ad id, quod dicitur de Commentario D. Anselmi, & de Tract. Turrecrematæ; quàm verũ est illud Commentarium fuisse germanum partum S. Anselmi, vt ostendam infrà in Sacra Cent. Vet. SS. PP. tàm longè abest à vero, illum Tractatum circumlatum nomine Ioannis Turrecrematæ, verè illius fuisse, & non potiùs Bartholomæi de Spina, vt testatur Catharinus Ord. Dom. in epist. Ded. ad Iulium III. disp. pro Immacul. ad Syn. Trid. & quia Catharinus antiquior est Baronio, & eiusdem Ord ac instituti cũ Turrecremat, a& Spina, testis est huius rei irrefraga-

gabilis, locupletissimus, & qui nulla ratione reijci potest;

18 Ad 2. Resp. Clarum esse ex modo dictis nõ solùm in Græcia, sed in aliis Christiani Orbis Ecclesijs antè D. Anselmum celebratum esse Festum Conceptionis; & quidem Conceptio B. Annæ die 8. seù 9. Decembr. est Conceptio Passiua B. Virginis, sicuti Conceptio B. Virginis die 25. Martii est Conceptio Passiua Christi, quæ alio modo solet dici vel Incarnatio Verbi, vel Anũciatio B. Virginis; vel Conceptio Christi, qua voce vtitur D. Thomas 3. par. q. 32. per totam.

19 Ad 3. Resp. Antiquissimo tempore, & viuente adhùc sancto Patriarca Dominico, celebratum est à RP. Dominicanis Festum Conceptionis sub nomine Conceptionis, præsertim in Prouincia Bethicæ: testantur Vincentius Iustinianus in Addit. ad vitam B. Lud. Beltram. §. vlt. & Catherinus in disp. pro Immaculata ad Synod. Trid. & videre est in Missali F. Præd. impresso Hispali anno Domini 1530. & Breuiario impresso Parisijs anno Domini 1550. Demùm in Martyrologio Præd. compilato à F. Ioanne de Palentia ex mandato Rev. Patris Seraphini Caballi, impresso Venetijs anno 1582. vt refert Acernen. in

Verùm quia Vox Conceptio æquiuoca est, & æquè significat Conceptionem primam, seù seminum, ac Conceptionem secundam, seù naturarum; & Conceptio prima non est capax Sanctificationis, & Gratiæ, sicut neque est capax Peccati, ideò celebrantes Festum Conceptionis die 8. Decembris, quo

die facta est Conceptio prima, seù seminum, visi sũt celebrare Conceptionem seminum, reuerà tamen celebrantes illam Conceptionem primam, seù seminum, dirigebant intentionem suam ad Sanctificationem factam in eodem instanti, quo Anima B. Virginis creata est, vnita, & infusá corpusculó, ità habemus ex B. Iordano, qui primus post D. Dominicum exercuit Generale Magisterium Ord. Domin. cuius verba formalia relata habemus apud Ioannem Horolt, qui cognomento Discipulus est appellatus in sermone de Concept. & sunt ista formaliter. *Celebrantes hoc deuotissimum Festum Conceptionis, oportet intentionem ordinatè dirigere, vt non referatur intentio ad Conceptionem Carnis, quia illa Massa nõ est susceptibilis gratiæ, sed sola Anima, vnde intentio referenda est ad illam Conceptionem, quando Anima infusa est, & vnita corpusculo, & in eodem instanti sanctificata est.* Idem habet Vlricus Argentinus Episcopus ex Ord. Domin. Alberti Magni Discipulus in sua summa lib. 5. cap. 2. & 3. *Sustinetur tamen ab Ecclesia, quòd aliqui celebrant Conceptionem B. Virginis non referendo hoc ad Conceptionem seminum, sed Naturarum, quod fuit in Animæ infusione; nec illam celebrant secundum se, sed ratione sanctificationis sibi è vicino adiunctæ.* Eadem phrasi loquitur Guilielmus Episcopus Metenensis ex eodem Ord. Domin. in apparatu super summam Raymundi cap. de Ferijs sic. *Quidam dicunt, quòd Festum istud est potiùs de Sanctificatione eius in vtero, quàm de Carnali eius Conceptione:* Floruit Guilielmus anno Dom. 1250.

21 Hinc factum est, vt Officium, & Festum Cõcep-

ceptionis dictum sit Festum Sanctificationis, pro eodem, scilicèt, sumendo Sanctificationem, & Præseruationem, vt apertissimis verbis testantur Catarinus disp. pro Immacul. lib. 3. fol. 42. & Vincentius Iustinianus loco cit. vbi subdit; quòd Conceptionis Amatores iam non vtuntur voce Sanctificationis, quia talis vox non ità clarè explicat Præseruationē B. Virginis à Peccato Originali. Nil ergò officit Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, quòd ex concessione Iulii III. PP. Dominicani recitauerint officium Sanctificationis, pro eodem scilicèt sumendo Sanctificationem, & Præseruationem; & similiter nil eidem Immaculatæ Conceptioni officit, quòd in Ecclesia sanctæ Mariæ Maioris recitatum sit Officium, & Missa de Sanctificatione quindecim dies continuos ante Festum Natiuitatis Dominicæ; imò ex hoc arguitur, quòd verè fuerit celebrata B. Virginis Præseruatio à Peccato Originali, tali enim solemnitati singulari, & quæ dicatur durasse 15. dies continuos, quod in aliis solemnitatibus non est adinuenire, correspondere debet pro obiecto nō quæcumque sanctitas, sed sanctitas singularis, quæ alia non potest assignari, quā sanctitas Originalis.

22. Addo à nonnullis non recipi, quod refert Aluarus Pelagius loco cit. tùm quia in eius M.S. antiquissimis seruatis in Bibliotheca Vaticana, & Codicibus emendatissimis Sfortiano, & Vrbinate, talis Relatio non inuenitur; sicuti etiam tempore Pauli Papæ V. cùm lecti, & relecti essent antiquissimi Rituales Ecclesiæ S. Mariæ Maioris, non est inuenta Missa Sanctificationis. Denique hisce oculis ipse-

met vidi Tomum de Planctu Ecclesiæ Aluari Pelagij recusum Lugduni anno 1617. cura, ac diligentia Theodorici Bellouaci, qui in Calce sic admonet Lectorem. *Hoc autem admonitum te velim nostrum exemplar, nescio, quibus malis auibus tàm portentosis erratorum monstris passim scatuisse, vt vix in eo decimū quodcumque verbum integrum, illæsumq;* (nè dicam penitùs inuersum, aut adulteratū) *fuerit reperire.* Quæ ergò Fides danda est huic Textui sic adulterato, penitùs inuerso, in quo nec decimum quodcumque verbum fas est reperire integrum, illæsumque?

ARTICVLVS III.

An in Festo, & cultu Immaculatæ Conceptionis, Titulus Immaculatæ *detrahendus sit Conceptioni, & apponendus Virgini, itàut dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis.*

1 VIdetur quòd sic. Primò quia. Fides, cultus, & sermo debent esse consona, itaut idem, quod Fides credit, Altare colit, Lingua fateatur, ergò cùm à Fidelibus Fide credatur, Religione colatur, non Præseruatio, non Conceptio Immaculata, non Sanctificatio; sed Conceptio absolutè, & simpliciter, vt loquuntur Theologi; cōmunis Ecclesiæ sensus idem nomen amplecti debet, omnibus Fidelibus in vsu esse, apud omnes vno ore, vna lingua versari; maximè ergo conueniens, summèq; necessariū fuit aliquod Decretum, nè Titulus *Immaculatæ* adderetur Conceptioni, sed Virgini.

Sc-

2 Secundò quia Dux Paulus, & Gentium Magister in instituendis Fidelibus docet; Doctrinam vulgarem lac debere esse non escam, *Lac vobis potum dedi, non escam ad Heb. 5. ad Corinth. 15. 23.* sed huius Tituli *Immaculatę* significationem Fideles non callent, ethymon ignorant; quam ergo vtilitatem reportabunt Fideles, cùm sententia de Puritate Virginis illis oportunè, importunè obtruditur; in quam rem satis sit afferre oracula Pij V. *Experimento didicimus ipsorum Predicatorum, qui in quęstiones huiusmodi proponendas erumpere solent, maior numerus materię difficultatem prorsus ignorantes, non intelligentes, quę loquuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretę deuotionis, vel potiùs loquacitatis, & ostentationis affectu ad tumultus, & simultates concitant, quas tumultuantes, atque dissidentes componere, & sedare potiùs, oportebat.*

3 Tertiò quia præcludenda est via ad noua petenda in hac materia, non enim fuerunt contenti Aduersarii asserere, B. Virginem immunem à Peccato Originali, sed etiam à debito illud contrahendi siuè proximo, siuè remoto: non contenti, contrariam sententiam excludere à publicis actibus, voluerunt illam exclusam à priuatis; non contenti proscriptum esse nomen Sanctificationis, petunt apponendum Titulum *Immaculatę*, quo obtento non quiescent: Hùc spectat, quòd quidam refert in Hist. Concilii, & Diario Pii IV. quòd cùm Galli, & Boemi Communionem peterent sub vtraque specie, Votū Pii Cardinalis Carpensis fuisse; In materia Religionis petitiones concessas non esse finem petendi, sed principium,

pium, & gradum ad maiora postulanda, ac per hoc consultissimum esse primæ petitioni viriliter obniti, nè muliebriter alijs succumbere cogamur; notum est illud Ciceronis 1. de Finibus, *superstitione qui est imbutus, quietus esse nunquam potest.*

4 Sed contrà est Dicendum: Titulum, *Immaculatæ*, aptè apponi Conceptioni B. Virginis tàm in Cultu, quàm in Opusculis, seù Libris prælo cudendis.

5 Probatur primò quia Summi Pontifices Sixtus IV. Iulius II. Innocentius VIII. Leo X. Paulus V. passim in suis Bullis Titulum Immaculatæ apponūt Conceptioni B. Virginis, ergò cùm Bullæ Pontificiæ in Materia Cultus, & Religionis sint regula Fidei, & hæc semper sit vna, immobilis, & irreformabilis, vt est de se clarum, & notat Tertullianus lib. de velandis Virginibus, cap. 2. non potest contrà illarũ tenorem pro varietate temporum quicquam decerni, aliàs iure merito Nouatores obiicerēt, Fidem nostrãm non esse Fidem Euangeliorum, sed temporũ; & ideò benè Vrbanus VIII. in Congreg. habitâ die 13. Iulii anni 1625. monuit Eminentiss. Cardinales, vt attentè prospicerent, nè sua sanctitas in statuendis iis, quæ à suis Prædecessoribus in hac materia disposita fuerant, contraria decerneret, ergò Titulus *Immaculatæ* iam olim appositus Conceptioni, non potest ab illa detrahi, & apponi Virgini.

6 Probatur secundò quia: Si Titulus Immaculatæ esset detrahendus Conceptioni, maximè vi cuiusdam Decreti, quod dicunt emanatum à Sacro Tribunali Generalis Inquisitionis Romæ anno Domi-

ni 1644. die 21. Ianuarii; At hoc Decretum plures Theologi euincunt laborare vitio subreptionis, eò quod non fuerit à Summo Pontifice subscriptum, & approbatum, cui soli Deus promisit infallibilem assistentiam in condendis decretis Fidei, & ob alias rationes, quas legesis apud Armamentarium Seraphicum, Theologiam Marianam, Episcopum Plasentinum in suo Propugnaculo, & alios Scriptores pro Negatiua sententia; solùm aio in præsenti, Catholicæ Ecclesiæ clauum fœliciter tenente Alexandro VII. de Immaculata Conceptione optimè merito, eiusmodi Decretum non esse in obseruantia, passim enim videre est Romæ Theoremata Theologica, Opuscula, opera etiam grandiora, & ingentes Tractatus consentiente, & approbante Magistro S. A. Palatii cum Titulo Immaculatæ apposito Conceptioni, prostare huiusmodi Tractatus, & ingentia Volumina pro Immaculata Conceptione venalia in publicis Bibliothecis; nec est qui de hac re contrà loqui, aut mutire audeat.

7 Deindè qui phrasim ipsam, & Latinam syntaxin eius decreti animaduertet, satis ambiguum, & æquiuocum esse facilè deprehēdet, præcipitur enim in eo Decreto; vt deinceps dicatur, *Conceptio Immaculatę Virginis.* At potiùs ea verba decreti debuissent disponi itàvt diceretur, *Conceptio Virginis Immaculatę*, sic enim clariùs, & omni prorsus remota verborum ambiguitate suam mentem declarasset Auctor decreti, & aliàs dicendo, *Conceptio Immaculatę Virginis*, posset quis suspicari, præli errore accidisse, vt minima litterula mutata, notabile præiudicium

cium inferretur Marianæ Præseruationi ; addito præsertim, quod Tituli postponi soleant ad nomina principalia, non antepóni ; neque enim dicitur, Alexander Maximus Pontifex, sed Alexander Pontifex Maximus; At Spiritus sanctus noluit ea seponere, & separare, quæ iuxtà posuerat, & nexu indissolubili à tanto iam tempore prouidentissimè coniunxerat.

8 Nec alicui debet esse mirum, ex vnius litterulæ mutatione, paruique elementi litterarii, posse tàm grande malum deriuari, quando scimus, ex huiusmodi simili mutatione, hoc est mutato ὁμοούσιον in, ὁμοιούσιον, deceptos olim fuisse in magnum præiudicium consubstantialitatis Filij Ariminensis Concilij PP. itàut ingemiscens Orbis Terrarum se Arianum esse, miratus sit, vt ait D. Hieronymus. Refert Niceta Choniate, lib. 7. Thesauri cap. 12. Similiter in Orat. pro Vnione Græcorum, & Latinorum cap. 5. & 6. fusè disputatur à Cardinali Bessarione Archiepiscopo Nicæno de vi, & energia particulæ, *Per*, & particulæ, *Et*; habetur ea Oratio in Calce tom. 4. Concil. General. S. Hilarius lib. 6. de Trinit. col. 14. ad illa verba Matth. 3. Hic est Filius meus Dilectus; attentè ponderat vim, & energiam pronominis, *Hic*; Denique quàm accuratè in condendis Decretis Fidei singulas particulas in iis apponendas, phrases ipsas, & locutiones perpenderint PP. Conc. Tridentini benè notat Emin. Pallauicinus in sua Historia, vel eius Abbreuiator lib. 7. c. 9. per totum.

9 Præterea huiusmodi Decretũ videtur esse in suis terminis implicatorium ; nã tollendo huiusmodi Titulum à Conceptione, & apponendo illum Virgini,

ni,ſimul,& ſemel tollitur Conceptioni, & non tollitur;tollitur enim ex ſuppoſitione;non tollitur,quia eo ipſo,quod attribuitur Virgini,attribuitur Conceptioni eiuſdem Virginis;neque enim propriè,& ſimpliciter poteſt dici Virgo Immaculata , ſi fuiſſet in ſua Conceptione polluta,& maculata , ſicuti ſi vel in momento habuiſſet peccatum veniale , quod per S.Thomam 1.2.quæſt.89.art.1.propriè non eſt macula,non eſſet B.Virgo dici ſimpliciter , & abſolutè Immaculata , à fortiori non poſſet dici ſimpliciter Immaculata,ſi habuiſſet in momento ſuæ Conceptionis Peccatum Originale,quod eſſe maculam omnium maximam,inconfeſſo eſt apud omnes, præſertim apud Aduerſ.qui volunt.B.Virginem fuiſſe mũdatam,& purgatam à macula,quæ inerat in B.Virgine,dum conciperetur,his enim terminis propriam eorum Affirmatiuam ſententiam declarant. Addito præſertim,quòd in eorũ ſentẽtia hæc eſt differentia inter vocem,*Sancta*,& vocem *Immaculata* , quòd vox Sancta poteſt verificari in vno inſtanti, & ideò vltrò admittunt Conceptionem B.Virginis dici Sanctam;quia verò Vox Immaculata explicatur per negationem,excludit omnem maculam in quocunq; inſtanti,& ideò obſiſtunt,nè dicatur ConceptioImmaculata;eadem ergo ratione, & ob idem motiuum debent obſiſtere,nè dicatur Virgo Immaculata,quia eundem omnino ſenſum reddit Vox Immaculata ſiuè apponatur Virgini , ſiuè apponatur Conceptioni.

10 Ad primum Reſp.Eccleſiam idem omninò obiectum corde tenere,in Altari colere,ore confite-

ri,nempè Conceptionem Immaculatam, & Præseruatam ab Originali,vt fusè probaui art. 1. per totum, & quidem Gregorius XV. præcipiens celebrari Festum Conceptionis sub nomine Conceptionis,& nō sub alio nomine,sicut exclusit vocem *Sanctificationis* sub qua, tanquam anguis sub herba, latebat Peccatum Originale, ità pro eodem sumpsit Conceptionem,& Conceptionem Immaculatam; quod patet ex eo, quia Aduersarij vel ipsi vltrò dant, & fatentur,antè Gregorij XV. pro eodem sumptum esse terminum Conceptionis, & Conceptionis Immaculatæ,ità in eorum priori libello supplici n. 1. & quidem vsus obtinuit,vt notoriè Sanctis,aliquando Titulum *Sancti* apponamus,aliquando illum Titulū reticendo,idem significemus; hinc plerique Doctores,& Scriptores,præsertim verò D. Thomas passim in Summa,& in Catena aliquando S. Hilarium, aliquando Hilarium simpliciter dicit;aliquando S. Augustinum,aliquando Augustinum nominat;cùm ergo notorium esset,& Gregorio XV. sapientissimo notissimum,quòd communi omnium,& vsitata phrasi, atque locutione;quòd in Bullis Anteriorum Pontificum passim fuisset Conceptio B. Virginis insignita,& decorata Titulo Immaculatæ,extrà dubiū omne est,quòd pro eodem sumpserit nomen Conceptionis,& Conceptionis Immaculatæ;addito præsertim quòd absolutè,& simpliciter dicimus Natiuitatem,Præsentationem,Assumptionem B. Virginis, & aliàs habetur tanquam omninò certa, & indubitata sanctitas Natiuitatis,Præsentationis,& Assumptionis B. Virginis.

Pa-

11 Patet ſecundò quia:Gregorius XV. confirmat,& innouat Conſtitutiones Sixti IV. Bulla illa ſua,ergò cùm in Bullis illis Sixtinis appoſitus ſit Cõceptioni Marianæ Titulus Immaculatæ,tantum abeſt,quòd Gregorius illum Titulum detrahat Conceptioni, quin potiùs illum denuò ſuperaddit, & confirmat.

12 Ad ſecundũ Reſp.Longè difficiliora eſſe Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis,& Dominicæ Incarnationis,quàm Myſterium Immaculatæ Conceptionis Marianæ,& tamen quia illa ſunt neceſſaria neceſſitate Medij ad ſalutem conſequendam iuxtà probabiliorem ſententiam,debent Populo Chriſtiano explicari à Parochis, & Concionatoribus, quin imò ideò per Aduerſ.detrahendus eſt Titulus Immaculatæ à Conceptione,quamuis aliàs ſit omninò licitum fateri,B.Virginem eſſe Conceptam ſinè Peccato Originali,quia alia eſt ratio Tituli, quem & rudes Homines intelligunt,præſertim in Librorum Titulis,qui ſunt omniũ oculis peruij,& alia eſt Ratio de ipſa ſententia tenente Immaculatã, ità in ſupplici lib.num.33.ergò Titulus Immaculatæ,ſi ſibi conſtēt Aduerſarij,& nolint pugnantia dicere,nón ideò eſt denegandus Conceptioni, quia difficilis ſit intellectu,e ſca ſit,non lac,ſeit potiùs:Poſtremò Pius V.(vt eius verba manifeſtè declarant)loquitur de Concionatoribus, qui quæſtionem huiuſmodi coram promiſcua Virorum, ac mulierum multitudine proponunt ſtylo Scholaſtico,& concertatorio dicendi genere;id autem prohibet Eccleſia édocta ab Auguſtino,qui cùm de peccatis agitur,nullam vult prorſus

haberi quæstionem de B. Virgine propter Honorem Domini; At nullatenùs prohibet Pius V. licèt Ordinis fuerit Dominicani, laudari, celebrari, commendari Conceptionem Immaculatam, semper enim in eius Festo, vt patet ex Bulla Præexcelsa , consueuit Ecclesia habere sermonem de Immaculata , imò in ea Bulla Indulgentias interessentibus , & audientibus huiusmodi sermones , & Conciones dilargitus est Sanctissimus Pontifex Sixtus IV.

13 Ad tertium Resp. Præceptum esse Apostoli, *Aemulamini Charismata meliora*, 1. ad Corinth. 12. Quandò ergo rationabilia, quando consona Pietati, & Religioni, quando agitur de promouenda, & augenda fide, vt petebant Apostoli, *Domine adauge nobis Fidem*, Lucæ 17. Nunquam desistendum est à petitionibus, quæ quò fuerit feruentiores , & vt ità dicam, magis importunæ, eò erunt laudabiliores, magis meritoriæ, & Deo ipsi magis gratæ. Quid? quòd Christus Dominus præscribens nobis formulam orãdi, inter alias petitiones , illam præcipuè commendat, *Sanctificetur nomen tuum*, Matth. 6. Dùm ergo petimus nomen Dei Sanctificari, eius gloriam ampliari in Conceptione Immaculata B. Virginis, dùm sine modo opportunè, importunè instamus, quà precibus, quà libellis, quà Legationibus, profectò id agimus, ad quod tenemur, quod faciendum Dominus præcepit Apostolis, & per Apostolos nobis. Ex his patet disparitas ad exemplum allatum de Communione sub vtraque specie ; neque enim potest dici vllo modo, superstitionem esse, & non solidam , ac veram Religionem , colere Immaculatam Concep-

tio-

cionem Marianam, aliàs Ecclesia, quæ illam proponit Festo celebrandam, erraret; Fideles illam colentes, & celebrantes mortaliter peccarent, quæ quàm sint absurda, & ab omni prorsus veritate aliena, ipsi iudicent, qui obijciunt.

ARTICVLVS IV.

An ex Officio Nogarolico efficaciter deducatur obiectum Festi Conceptionis esse Preseruationem B. Virginis à Peccato Originali.

1 Videtur quòd non. Primò quia. Approbatio huius Officii emanauit à Summo Pontifice Sixto IV. tanquam à priuata persona, & Doctore, non vt Summo Pontifice, & Iudice Controuersiarum, ergo ex talis Officii celebratione non benè arguitur, quòd obiectum Festi Conceptionis celebrati ab Ecclesia sit Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali.

2 Secundò quia: in eo Officio distinguenda sūt duo, nimirum substantia Officij, & modus, seù ordinatio eiusdem Officij; illa fuit à Summo Pontifice, & consistit in eo, vt laudes Deo referantur pro mira Conceptione B. Virginis; At modus, & ordinatio eiusdem Officii fuit à Leonardo de Nogarolis Clerico Veronensi tunc Sedis Apostolicæ Notario, vt patet ex clarissimis verbis Bullæ, ergò toties repetita encomia pro B. Virginis Præseruatione non sunt à Summo Pontifice, sed à priuata persona, ergo ex illo Officio efficaciter non infertur Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali, sed ad summum ab

Apo-

Apostoliça Sede sentẹntiam illam, vt Piam, vt Deuo tam commendatam; ventosa ergo, & ampullosa sunt illa epitheta, quòd ea sententia fuerit canonizata, quòd sit proximè definibilis, quòd sit quasi certa de Fide, & indubitata.

3 Tertiò quia: Officium hoc Nogarolicum fuit expunctum à Pio V. ex Breuiario Romano, ergo Officium illud, & quæ de Immaculata in eo dicuntur, non sunt approbata ab Ecclesia, sed potiùs reiecta: Neque verum est inter Officia propria F. Minorum reperiri Officium Nogarolicum concessum viuæ vocis Oraculo PP. Franciscanis, nam Vazquez, & Suarez omnem aliam viam excogitant ad soluendum hoc Argumentum, & nunquam recurrunt ad concessionem huius Officii factam ab eodem Pio viuæ vocis Oraculo PP. Franciscanis, ergo falsum est, quòd facta fuerit huiusmodi concessio. Addito præsertim, quòd Festum Conceptionis est Festum Romanæ Ecclesiæ, ergò non potest numerari inter Officia propria F. Minorum.

4 Sed contrà est Dicendum. Ex Officio Nogarolico efficaciter deduci obiectum Festi Conceptionis, esse eandem Conceptionem B. Virginis, vt Immaculatam, vt Præseruatam à Peccato Originali.

5 Probatur primò quia: Ex Officio Natiuitatis efficaciter colligitur sactitas Natiuitatis Marianæ; vt ex D. Thoma diximus supra, ergò ex Officio Conceptionis colligitur sanctitas Conceptionis Marianę; & quidem sicut ex Officio Natiuitatis colligitur sanctitas eiusdē in eodē instanti, nō in secundo, seù tempore sequenti, quod non spectat ad Natiuitatē

Ma-

Marianam, ità ex Officio Conceptionis debet colligi sanctitas Marianæ Conceptionis in eo instanti, in quo fit, non in instanti sequenti, seù secũdo; quod non spectat ad Conceptionem.

6 Probatur secundò quia, Officium est pars præcipua Festi, & est Festo omninò conforme, habens idem obiectum, sed obiectũ Festi est sanctitas Conceptionis Marianę, ergo etiam obiectum Officii Conceptionis Marianæ, est sanctitas eiusdem.

7 Probatur tertio quia: In Officio Nogarolico passim, & vbiuis explicatissimis verbis asseritur Immaculata Conceptio, & Præseruatio B. Virginis; nã in Inuitatorio dicitur. *Immaculatam Conceptionem Virg. Marię, Christum eius Pręseruatorem adoremus Dominum.* In Oratione. *Concede, vt qui ex morte eiusdem* Filÿ *tui pręuisa, eam ab omni labe pręseruasti.* Lect. 4. ex D. Augustino. *Caritas effecisti, vt non solum Maria non peccaret, sed nec posset de peccato cogitare, & super omnes reseruasti ab omni labe peccati.* In quadam Antiphona. *Tota pulchra es Maria, & macula Originalis non est in Te.* In alia Antiphona. *Hæc est Virga, in qua nec nodus Originalis, nec cortex actualis culpę fuit.* In alia Antiphona. *Maria ab omni Peccato Originali, & actuali immunis fuit.* Et pluries B. Virgo asseritur Concepta sinè macula, ergo obiectum eius Officij est Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali.

8 Ad primum Resp. Quòd si hoc Argumentum quicquam concluderet, pili facerent Nouatores Põtificum Summorum Decreta omnia; Dicerẽt enim, & quidem meritò, ea emanasse à Summis Pontifici-

bus,

bus,vt à priuatis personis,& Doctoribus, non vt à Summis Christi Vicarijs,& Petri successoribus;Locorum ordinarij Priuilegia concessa PP. Dominicanis,& alijs Religiosorum Ordinibus à Summis Pontificibus minimè rata haberent, vt potè profecta à personis priuatis non habentibus super illos Iurisdictionem:Expunctio Officij Nogarolici facta à Pio V.cui suæ causæ puppim committunt, & proram Aduers.nil omninò momenti haberet, quia facta à Pio,vt priuata persona, non vt à Christi Vicario: Gloriosa Epitheta, quibus Doctrina D.Thomæ à diuersis Summis Pontificibus extollitur, & commendatur,incassum producerentur ab Aduers. quia possent dici profecta à Summis Pontificibus, vt à priuatis personis;quòd si in huiusmodi assignatis similibus casibus Summus Pontifex non se habuit vt priuata persona, neque approbando Officium Nogarolicum se habuit vt priuata persona, sed vt Summus Pontifex,& Christi Vicarius.

9 Sed iam directè respondendo ad Argum. dico.Approbationem eius Officij fuisse à Sixto IV.tanquam à Summo Pontifice loquente, & gerente se, vt Summum Pontificem,colligitur satis apertè primò ex Stylo eius Constit.Cùm Præexcelsa,quia statim initio ponitur consuetus Titulus;*Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei*: qui sanè Titulus proprius est Summi Pontificis,non priuatæ personæ.Secundò, Constitutio ista inserta est corpori Iuris Canonici, quod non fit de Constitutionibus alicuius priuatæ personæ,preterquam quod vel nomen ipsum Constitutionis,eam esse emanatam à Summo Pontifice,

vt

vt à Summo Principe Ecclesiæ,patet ex eo,quia solius Principis publicam, & supremã Auctoritatem habentis est,leges,& Constitutiones condere. Tertiò quia;in ea Constitutione inuitantur Fideles ad lucrandas Indulgentias, tanquam ad bona spiritualia;at solius Summi Principis est, prospicere bono ouium sibi commissarum, & habere claues Thesauri Ecclesiæ,ex quo prodeunt Indulgentiæ.Postremò ea Constitutio acceptata est,à posterioribus S.Põtificibus, quibus consuetudo non est acceptãdi priuatas opiniones Anteriorũ,sed Decreta ad Fidẽ,vel Pietatẽ stabiliendam,vel promouendam,spectantia.

10 Ad secundum Resp.Quòd in Bulla Præexcelsa ordinatio illa Officij Nogarolici dicitur esse Leonardi de Nogarolis,ità tamen,vt à Summo Pontifice commendetur tanquam Pia,tanquam Deuota, tanquam Laudabilis,& ideò approbata est à Summo Pontifice;nam sicut, quæ Summus Pontifex reprehendit,& damnat,eo ipso reprobat; ità quæ commẽdat,& laudat,approbat. At Summus Pontifex non potest approbare mendacium,aliâs Deus,qui assistit Ecclesiæ approbanti,approbaret mendacium, ergo ex vi talis approbationis asserta Præseruatio est vera,& certa,non quidem certitudine Fidei, quia nõdum est definita,& declarata,vt Articulus Fidei,sed certitudine,qua gaudet Conclusio Theologica, id-est,certitudine, quæ est proxima certitudini Fidei; non ergo sunt ampullosa,& ventosa,sed solida, & vera illa epitheta,quibus Mariana Præseruatio dicitur indubitata,quasi canonizata, proxima Fidei, & quasi de Fide.Deindè per Aduers. Contraria dicitur

Canonizata de Probabilitate à Gregorio XV. præcisè ex eo, qui a Summus Pontifex declarat, se illam non reprobare, nec ei ullum præiudicium inferre, præterquam quòad supra disposita, ità in libel. supplici, num. 103. à fortiori, quia Sixtus IV. Negatiuã sententiam commendando approbat, tanquam Piã, Deuotam, & Laudabilem, debet Negatiua dici Canonizata de Pietate; vel si Negatiua, quamuis commendata, & approbata à Summo Pontifice, tanquam pia, non potest dici Canonizata de Pietate, neque contraria potest dici Canonizata de probabilitate, quia non est reprobata, nec vllum illi præiudicium illatum præterquam quò ad suprà disposita; non dico, contrariam non esse probabilem, sed non posse dici Canonizatam de probabilitate, si negatiua non potest dici Canonizata de Pietate. Postremò dico, quòd in Bulla Graue nimis ordinatio illa Officij Nogarolici ab eodem Sixto IV. attribuitur ipsimet Romanæ Ecclesiæ; Audi verba. *Sanè cùm S. Romana Ecclesia de Intemeratę, semperque Virginis Conceptione publicè Festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinauerit, & c.* Ergo ordinatio eius Officij Nogarolici approbata fuit ab Ecclesia, in suum recepta sinum, & tanquam esset à seipsa profecta; recognita est.

11 Ad tertium Resp. Quòd Officium Nogarolicum fuerit expunctum à Breuiario Romano, & eius loco subrogatum officium Natiuitatis, in primis nil officere sanctitati B. Virginis Conceptæ, nam etiam olim in Festo Præsentationis recitabatur idẽ officium, quod in Festo Natiuitatis, mutato solo nomine

mine Natiuitatis in nomen Præſentationis, & ab eodem Pio V. fuit expūctum è Breuiario Romano Feſtum Præſentationis, vt refert Gauantus in ſuo Manual. ſect. 7. cap. 13. & tamen nullum ex his illatum eſt præiudicium ſanctitati Virginis Præſentatæ; Deindè; ſubrogatum fuiſſe Officium Natiuitatis Officio Nogarolico, eſſe validiſſimum, & efficaciſſimum argumentum pro Mariana Præſeruatione, oſtenditur ex eo primò; quia ex identitate officii arguitur identitas ſanctitatis vtriuſque Feſti, Natiuitatis ſcilicèt, & Conceptionis. Secundò quia hoc ſuo facto approbat Pius V. quod habemus ex antiqua Traditione teſte Baronio vbi ſupra Art. 1. videlicet, Helſinum Abbatem primò intulliſſe hoc Feſtū in Angliā diuino admonitu, & præcepiſſe celebrari hoc Feſtū Conceptionis recitando idem Officium in Feſto Conceptionis, quod recitatur in Feſto Natiuitatis mutato ſolo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis. Tertiò quia nihilminùs in officio iſto ſubrogato Natiuitatis, ac in Officio Nogarolico, ſi non formalibus, & expreſſis verbis, æquiualentibus tamē acclamatur repetitis vicibus Immaculata Conceptio, & Præſeruatio Mariana; quod patet diſcurrendo per ſingulas eius Officii Partes; Primò enim in Octauo Reſponſorio Conceptio B. Virginis dicitur *Sancta*, ergo dicitur Immaculata; tenet conſequentia, quia ea eſt apertiſſimè illata, & deducta à ſanctiſſimo, & præclariſſimo Eccleſiæ Doctore Ambroſio, lib. 2. in cap. 2. Lucæ circà medium, vbi loquens de partu Virginis infert eam conſequentiam ſic. *Verbis enim legis promittebatur Virginis partus, & verè*
 ſan-

sanctus, quia Immaculatus. Ergo si in octauo Responsorio Conceptio B. Virginis dicitur sancta, per necessariam consequentiam infertur, & deducitur, quòd dicatur Immaculata, non enim est sancta, nisi fuerit Immaculata; addito præsertim, quia Synonimi sunt isti duo termini *Sancta*, & *Immaculata*: vel si negauerint esse Synonimos; fortius instruitur Argumentum sic; plùs dicit terminus, *Sancta*, quàm terminus *Immaculata*, quia terminus, *Sancta*, præter carentiam culpæ, dicit Gratiam, quæ est forma Sanctificans, & positiua Animæ pulchritudo, ergo si B. Virginis Conceptio est sancta, à fortiori est Immaculata. Secundò dicitur in Introitu Missæ, *Conceptionem B. Mariæ Virginis cùm gaudio celebremus*, at Conceptio huiusmodi non posset celebrari cũ gaudio, si esset infecta Peccato Originali, quod tristitiã habet comitem, non lætitiam, non gaudium. Tertiò dicitur, *Christo canamus gloriam.* At quam gloriam possemus Christo canere; si Mater eius asseratur maculata peccato originali in sua Conceptione, quãdo peccatum originale obbrobrium est, & ignominia humanæ conditionis, & naturæ? Quartò dicitur, *exorta refulget*, at quomodo posset refulgere, si esset Concepta in tenebris peccati originalis? si ergo in Officio subrogato Officio Nogarolico B. Virginis Conceptio acclamatur sancta, gaudiosa mundo, gloriosa Christo, fulgida, & luminosa B. Virgini, non potest esse admixta cùm peccato originali, quod est carẽtia sanctitatis, expers gaudij, expers gloriæ, expers & lucis; expunctio ergò Officij Nogarolici facta à Pio V. non obest modò, sed mirum in modum pro-

deſt Immaculatæ Conceptioni,& Præſeruationi Marianæ.

12 Præterea conceſſionem Officii Nogarolici factã à Pio V. viuæ vocis Oraculo PP. Franciſcanis videre eſt in Armamentario Seraphico, & in Libello inſcripto, *Officia Propria F. Minorum.* Neque enim, obſtat quòd Suarez,& Vazquez duo fulgentiſſima Scholæ Recentioris lumina pro ſolutione Argumenti facti non allegauerint Conceſſionem huiuſmodi factam viuæ vocis Oraculo à Pio V. non enim tali Argumento vlla ratione premebantur, imò peruiderunt omninò rem Immaculatæ Conceptionis mirum in modum promoueri ex tali expunctione Officij Nogarolici, vt apertis verbis declarat Suarez tom. 2. in 3. p. q. 27. ſect. 6.

13 Neque ſecundò obſtat, quòd Feſtum Conceptionis ſit Feſtum Romanæ,& Vniuerſalis Eccleſiæ, quòminus poſſit recenſeri inter Officia Propria F. Minorum, nam etiam Feſtum Corporis Chriſti, eſt Feſtum Romanæ,& Vniuerſalis Eccleſiæ, & tamen ex conceſſione eiuſdem Pii V. eius Feſti Officium recenſetur inter Officia F. Minorum; & aliàs ipſo Sole clarius eſt, F. Minores fuiſſe Immaculatæ Conceptionis, vel Auctores, vel primos Promotores; & ideò meritò, quod eſt toti Eccleſiæ commune, illis appropriatum; ſicuti licèt Feſtum Sanctiſſimi Roſarii commune ſit omnibus Fidelibus, & toti Eccleſiæ; nihilominus F. Prædicatoribus eam deuotionem promouẽtibus appropriatur. Hinc eſt vt Iulius II. in Bulla Approbationis Regularum, quas Moniales inſtitutæ ſub Titulo Immaculatæ Conceptionis ob-

seruabant, easdem Moniales curæ, ac Regimini F. Minorum commiserit, *quia congruum omnino, atque rationi consonum est, vt Fratres, qui ob Immaculatam Deiparę Virginis Conceptionem tuendam tot labores, atque difficultates perpessi essent, illius sanctissimi nominis & sororum curam gererent.*

13 Quid! quòd Gregorius XIII. & Paulus V. Officium Nogarolicum approbarunt? & quidem Gregorius XIII. viuæ vocis Oraculo facto Card. Syrleto, vt patet ex eius Fide authentica data 1. Idus Iunii 1583. Paulus V. concessit, vt singulis Sabbatis nõ impeditis recitetur Officium Nogarolicum, vt patet ex fide Authentica Card. Aragonii die 1. Iun. 1609: vtrãque fidem Authenticam habes in Armam Seraph. in Reg. fol. 171. 174. Et quia neuter Pontifex vllam prorsus mentionẽ facit de eadem Cõcessione facta à Pio V. colligitur manifestè, horum Pontificum Concessiones non fundari super Concessione Pij V. solent enim Summi Pontifices ex antiqua eorum consuetudine, quando propriam Bullam super Bullas Anteriorum Pontificum inædificant, illas ex integro præmittere, & referre.

14 Prætereà planum est, Officium Nogarolicũ fuisse in Ecclesia Dei adhibitum à tempore Sixti IV vsque ad tempus Pii V. spatio, scilicèt, 100. circiter Annorum, ergo exhibitus est cultus, & adoratio Immaculatæ Conceptioni per id temporis ab Ecclesia eo Officio, sed Ecclesia non potest errare in Cultu, quia forma orandi Legem statuit credendi, vt supra diximus ex Cœlestino Papa, & S. Augustino, ergo.

15 Pro coronide sit, quòd de facto vbiq; Terra-

rarum Romæ præſertim ſciente, audiente Summo Pontifice recitatur Officiũ Nogarolicũ à F. Minoribus in omnibus ſuis Eccleſijs;& Aduerſarij, qui sũt Romæ præcipui Summi Pontificis adminiſtri,contrà loqui,aut murire non audent.

ARTICVLVS V.

An ex Conceſſione Indulgentiarum colligatur obiectum Feſti Conceptionis eſſe Prę ſeruationem Marianam.

1 VIdetur quòd non. Primò quia licèt à multis adducatur,conceſſas eſſe Indulgentias Officio Nogarolæ,vel poſt illud,à nullo tamen id probatur, cùmque Officium illud Oraculo ſubreptitio Pij V.inhęreat,illo euerſo,Indulgentiæ quoque diuelluntur.

2 Secundò quia;dato,& non cõceſſo,quòd Sũmi Pontifices conceſſerint Indulgentias Immaculatæ Conceptionis B.Virginis,adhuc non probabunt, Immaculatam fore Fide Diuina definitam, ſed ſolũ piè creditam, quia obiectum terminatiuum Indulgentiarum eſt ſanctitas Conceptionis,ſiuè in primò inſtanti,vt illi exiſtimant,ſiuè in ſecundo inſtanti,vt alij putant,non enim pia credulitas poteſt eſſe obiectum terminatiuum indulgentiarum, hæc enim ſolùm eſt motiuũ S.Pontifici,vt Indulgentias cõcedat; & Fidelibus,vt petãt Indulgẽtias,niſi aliquis ità deſipiat,vt putet,ad aliquid dubiũ, & incertũ terminari poſſe;nam ſimiliter cõceſſæ ſunt plures Indulgentiæ Imaginibus depictis à S.Luca, & tamen nemo di-

diceret, de Fide esse illas Imagines fuisse à S. Luca depictas, hoc enim dubium est, adeò vt Baronius, maximus Annalium Parens, non infirmis rationibus falsum id esse, clarissimè probauerit.

3 Tertiò quia Securim ad radicem admouebimus, si ponderabimus in largiendis Indulgentiis sẽper quidem exigi legitimam causam, ac proindè rationabilem, iniquè tamen postulari, vt illa semper vera sit, cùm sufficere possit præsumpta, nè Pontifex huius Spiritualis Thesauri diuitias temerè profundere, credas, & nè Fideles nimia facilitate, ac puerili leuitate esse validas, credãt, cùm de iure semper pro iudice (nisi manifestus eluceat error) sit præsumendum; præsumitur autem rationabilis causa, si illa sit verisimilis, si Pia, cùm insani iudicii sit iuxtà Arist. in Met. In rebus humanis Mathematicam expetere demonstrationem.

4 Sed contrà est dicendum. Ex Indulgẽtiarum concessione efficaciter colligi, obiectum Festi Conceptionis esse Præseruationem B. Mariæ Virginis à Peccato Originali.

5 Probatur primò quia; Licèt non semper concessio Indulgentiarum includat opus præstandum à lucrante Indulgentias, vt docet Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 52. sect. 4. num. 3. tamen quandò Indulgẽtiæ cõceduntur sub conditione alicuius Operis faciendi, tale opus debet esse bonum, pium, & honestum; imò frequenter, & regulariter est aliquis actus Religionis, & Cultus, sed obiectum Religionis, & Cultus non potest esse, nisi res sancta, & benedicta, neque enim actus Religionis, & Cultus potest esse

cir-

circà peccatũ, aut circà aliquod obiectum indifferens, ergò quando Summus Pontifex concedit Indulgentias celebrãtibus Festum Conceptionis, aut Inuocantibus Conceptionem, aut recitantibus Antiphonas, & Orationes in honorem Conceptionis, non intendit honorari Conceptionem maculatam, & infectam Originali, aut Conceptionem non sanctam, & indifferẽtem ad Peccatum, & Gratiam, sed intẽdit honorari Cõceptionem Marianam, vt Præseruatam ab Originali, & omninò sanctã, ergo Præseruatio ab Originali est obiectum Cultus, qui præcipitur Fidelibus cupientibus lucrari Indulgentias, ergò ex concessione Indulgentiarum benè colligitur, obiectum Cultus lucratiui Indulgentiarum esse Præseruationem.

6 Probatur secundò quia: Matthæus Aquarius Illustris Doctor Ord. Domin. in Controu. pag. 133. ex eo, quòd Gregorius XIII. singulis primis Dominicis cuiuslibet Mensis concessit Indulgẽtiam Plenariam Academiæ Thomisticæ Romanæ, deducit doctrinam D. Thomæ esse approbatam ab Ecclesia, atq; adeò præseruatam ab erroribus, quos nõnulli Parisijs dicebant aspersos esse in quibusdam eius Articulis, quos propterea damnarunt Doctores Parisienses, ergò ex eo, quòd Summi Pontifices dilargiti sunt Indulgentias colentibus Conceptionem, benè, & validè colligitur, approbatã esse ab Ecclesia Immaculatam Conceptionem, & Præseruatam ab errore Originali: Vel si ex eo, quòd Summi Põtifices concesserint Indulgentias colentibus Cõceptionem, non colligitur, quòd fuerit approbata, &

Præseruata ab errore Originali, neq; Doctrina D. Thomæ est approbata,& præseruata ab errore,quãuis Summus Pontifex Gregorius XIII. concesserit Indulgentiam Plenariam Academiæ Thomisticæ Romanæ.O tempora,ò mores.Planè videntur Aduers.pluris æstimare Doctrinam D. Thomæ, quàm B. Virginis Conceptionem; illam volunt Immaculatam, quia munitam præsidio Indulgentiarum, hanc esse Immaculatam,confiteri detrectãt, quamuis munitam pari præsidio Indulgentiarum.

7 Ad primum Resp.Rem esse dignissimam admiratione,quòd Aduers.omninò dissimulent nosse, Indulgentias esse concessas colẽtibus Immaculatã Conceptionem,quãdò Indulgentię huiusmodi passim sunt obuiæ legentibus Bullã, *Praecxcelsa*, in qua eædem Indulgentię conceduntur celebrãtibus Immaculatam, quę olim concessę fuerunt colentibus Festum Corporis Christi: Passim quoq; sunt obuiæ legentibus Bullarium Augustinianum fol.350. vbi concedũtur ab eodem Sixto IV.visitantibus Ecclesiam S. Mariæ de Populo in die Conceptionis Marianæ.Legentibus Bullam Innocentij VIII.quæ incipit, *Inter innumera*, directam Monialibus Ordin. Immacul. Conceptionis Conuentus Toletani. Legentibus Bullam Iulij II.concedentis Indulgentias adsportantibus Imaginem Immaculatę Cõceptionis,quam deferunt Moniales Ord. Immacul. Conceptionis:Legentibus Bullam Pauli V. dilargientis centum Annos Indulgẽtiarum ijs, qui recitauerint illam Antiphonam, *Hæc est Virga*. Et Orationem; *Deus, qui per Immaculatam Conceptionem, &c.* Arma-

mamentarium Seraphicum has,& plures alias Bullas refert cùm Indulgentiarum Concessione satis abũdè; & ex fide,signatis die,& anno Concessionis huiusmodi:clariora sunt hæc luce meridiana. Nec officit expunctio Officij Nogarolici facta à Pio V. quam supra Art. 4. ostendi profuisse potiùs, quàm obfuisse causæ Immaculatæ Conceptionis.

8 Ad secundum Resp. Ex concessione Indulgentiarum nos solùm colligere negatiuam sententiam Peccati Originalis in B. Virg. esse certam non quidem certitudine Fidei Diuinæ, sed certitudine morali piæ credulitatis, dummodo certitudo ista moralis piæ credulitatis sit certitudo Conclusionis Theologicæ,quæ est proxima Fidei, quam certitudinem non possunt non admittere,& fateri Aduers. nàm in Libello supplici olim exhibito Innocentio X.num.38.ità loquuntur; *Demum hoc humillimè subijcimus in re iam graui sola dubitatio sufficere potest, vt nihil vlterius innouetur, maximè cùm nihil præter Definitionem agendum sit*. Ergò iam res eò deuenit: vt sola Definitio desit: est ergò sententia negatiua in statu proximæ definibilitatis, atq;adeò est certa certitudine conclusionis Theologicæ,quæ est proximæ definibilis; & sicut ista certitudo sufficit pro nunc Assertoribus negatiuæ, ità sufficit ad hoc, vt non dicantur Indulgentiæ terminare ad rem incertam; licet enim de Immaculata aliqui dubitent, non propterea redditur incerta, vt ostendi supra Art.1.fol.60.n.53.

Et quidem nõ potest dici,quòd obiectum terminatiuum Indulgentiarum sit sanctitas Conceptio-

nis,siuè in primo,siuè in secundo instanti,tum quia Obiectũ terminatiuũ Indulgentiarũ debet esse aliquid reale existens à parte rei, debet esse sanctitas realis,non intentionalis, seù intellectualis, Sãctitas autem præscindens à primo,& secundo instanti, seù sanctitas asserta in primo, vel secundo instanti, seù sanctitas ista præcisiua nõ est,nisi in Intellectu;nam à parte rei Sanctitas Conceptionis,sicut & quæcũq; alia entitas est necessario affixa alicui instãti certo, fixo , & determinato ; tum etiam quia per Aduers. obiectum Indulgentiarum non potest esse dubium, ergo neque potest esse vagum, & indeterminatum; at Sanctitas siuè in primo, siuè in secundo instanti, seù sanctitas præscindens à primo, & à secundo instanti, esset obiectum indeterminatum, & indifferens siuè ad hoc, siuè ad illud instans , ergo non potest esse Obiectum Indulgentiarum.

Ad vltimum,quod dicitur de Indulgentijs,quas Summi Pontifices concesserũt Imaginibus depictis à S. Luca, dico , quòd illæ Indulgentiæ concessæ fuerunt colentibus Imagines B. Virginis,itaut sicut Cultus non sistit in Imaginibus illis, sed omninò vltimatè tendit in B.Virginis Excellentiam,& sanctitatem, Indulgentiæ habent pro obiecto excellentiam , & sanctitatem B. Virginis repræsentatæ per illas Imagines ; quidquid sit deindè, an illæ Imagines verè sint depictæ à S. Luca , siuè non: esto, quòd Pia credulitas, & Fides,quòd illæ Imagines sint depictæ à S. Luca, fuerit occasio Summo Pontifici ad promouendum Cultum erga B. Virginem concessione Indulgentiarum ijs , qui colerent

rent illas Imagines.

Ad Tertium Resp. aliud esse, loqui de Causa, quæ requiritur, vt Summus Pontifex dicatur rationabiliter moueri ad concedendas Indulgentias; & aliud esse, loqui de obiecto terminatiuo Cultus propter quem conceduntur Indulgentiæ, siuè de obiecto, cui applicantur Indulgentiæ: Fateor, Indulgentias concedi propter Causam Piam, quæ cedit in Dei Gloriam, & vtilitatem Ecclesiæ; at obiectum Cultus exhibiti occasione lucrandi Indulgentias, omninò debet esse res Sancta, benedicta, verè, realiter à parte rei, non sanctitas aliqua intellectualis, & penè ficta. Hinc vsus, & consuetudo Ecclesiæ à longo iam tempore inualuit concedendi Indulgẽtias in Canonizationibus Sanctorum; vt, scilicet, illi lucrentur Indulgentias, qui aliquem Cultũ exhibuerint Sanctis nuperrimè Canonizatis, & eorũ sanctitatem actu aliquo Religionis, & Pietatis dignè coluerint; ità hoc nostro sæculo Alexãder VII. Indulgentias concessit piè colentibus Sanctitatẽ D. Thomæ Villanouani à se nuperrimè Canonizati.

Minùs vrget, quod aliqui Aduer. dicũt, Indulgẽtias concessas esse Pietati, non opinioni Piæ; ità Gulielmus Estius Doctor Duacẽsis in 3. quis enim audiuit vnquam Pietatem in abstracto comparare sibi Indulgentias; quis audiuit, Summos Pontifices dilargitos aliquando fuisse Indulgentias Pietati in abstracto, & non potiùs Fidelibus vtriusq; sexus piè colentibus B. Virginem, aut alios Sanctos, aut Deũ, aut Filium eius Iesum Christum?

ARTICVLVS VI.

An ex Reuelationibus, & Miraculis benè deducatur Mariana Præseruatio.

1 Videtur quod non. Primò quia; Reuelationes sunt dubiæ fidei, & ideò possunt absq; vllo timore negari; & vt benè notat Syluester V. Dominica; contrà sanctorum Conciliorum, & scripturarum Auctoritatem credere mulierculatum somnijs, stultum est; & Gaietanus opponentibus Reuelationes S. Brigittæ pro Immaculata, ponit oppositam Reuelationem factam S. Catherinæ Senensi, quæ fuit canonizata, sicut cæteri Sancti; non sicut S. Brigitta, canonizata tempore Schismatis à Bonifacio IX. quandò nullus certus, & indubitatus Pontifex habebatur.

2 Secundò quia: ait Gerson de exam. Doctrin. suspecta est omnis Reuelatio, quam non confirmāt Lex, & Prophetæ cum Euangelio, quæ tria significant Moyses, Elias, & Christus; alioquin delusiones Dæmonum, aut proprij Capitis phantasiones habeantur.

3 Tertiò quia: ait S. Bernardus epist. illa 174. sed profertur, vt aiunt supernè Reuelationes, quasi non quiuis queat scriptum ęquè producere, in quo Virgo videatur id ipsum mandare &c. Ipse mihi persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec Ratio suppeditare nec certa inuenitur firma Auctoritas.

Quar-

4 Quartò quia: ait Gelasius Papa d. s.c. Romana sancta Nouellæ.quędam Reuelationes sunt,& nonnulli Catholici eas legunt; sed dum ad Catholicorum manus perueniunt, B. Pauli Apostoli sententia præcedat, omnia probate,quod iustũ est,tenete.

Quintò quia; non benè fit recursus ad somniata miracula: Id certè in admirationem rapit, diuinum quid protendit; quòd sola Dominicana Religio, simplex, pauper, paruula, inter omnes minima, nullis artibus suffulta, nullis præsidijs subnixa, sola D. Thomæ auctoritate subnixa contrà tot humanæ potentiæ fulmina,illam,idest Affirmatiuam, defenderit.

5 Sed contrà est Dicendum. Ex Reuelationibus, & Miraculis validè colligi obiectum Festi esse Immaculatam Conceptionem, seù Præseruationem B.Virg.à Peccato Originali.

6 Probatur quia: Deus Diuina sua Reuelatione, & Miraculis à se factis non potest inuitarè, aut aliquos incitare ad Cultum falsum, Cultus enim falsus in actu exercito continet mendacium,ad quod Deus non potest incitare,alias freti Diuina Auctoritate possemus credere mendacium,quo nihil absurdius; sed Deus Diuina Reuelatione,& subsecuto post modum Miraculo inuitauit olim, & incitauit Fideles ad celebrandam, & colendam Conceptionem, ergò hic Cultus debet esse verus; At non potest esse verus Cultus rei non sanctę, & non Immaculatæ, ergò Conceptio Mariana debet esse sancta, & Immaculata.

7 Quòd autem Deus Diuina Reuelatione,& subsecu-

ſecuto miraculo incitauerit olim Fideles ad hoc Feſtum celebrãdum patet ex Baronio *Art.*2. ſupra, qui ab *A*duerſ. appellatur Magnus *A*nnalium Parens; addito præſertim, quòd *S*ixtus V. Notas Martyrologij Rom. in quibus eſt ea Reuelatio, ſpeciali Bulla approbauit. Eandem Reuelationem videtur approbaſſe Pius V. ordinãdo, quòd officium Natiuitatis recitaretur in die feſto Conceptionis, mutato ſolo nomine Natiuitatis in nomen Conceptionis, qui Ritus recitandi officium de Immaculata, continetur in Diuina illa Reuelatione de celebrando hoc Feſto. Eandem Reuelationem approbauit *S*ixtus IV. & vſus Eccleſiæ Catholicæ recitantis in die feſto Conceptionis officium Nogarolicum, in quo ea Reuelatio narratur, & refertur. *A*lias Reuelationes de hoc Feſto celebrando paſſim inuenies apud *A*ſſertores Negatiuæ, & nos aliquas referemus in ſacra Centuria Veterum *S*S. PP. ſatis ſit, præcipuã, primam, & Bullis Pontificijs validè munitam, in præſentiarum adduxiſſe.

8 Ad 1. Reſp. ſi Reuelationes ſunt dubiæ fidei, ideòq; poſſunt ſine vllo timore negari, ergo poſſumus ſine vlló timore negare; *S*S. Apoſtolos Petrum, Paulum, imò & B. Virginem D. Thomæ ſcribenti apparuiſſe, vt refert *S*eraph. Capponi p.p. de S. Thomæ Doctrinæ Probationibus prob. 8. Poſſumus ſinè vllo timore negare; Minoritę cuidam *S*cotũ euoluenti ſinè fructu, apparuiſſe *S*. Franciſcum; qui digito commoſtrãs D. Thomam ſuo lateri in hærẽtem ſic fuerit affatus. *Hunc lege, hic enim dicet Tibi, quid Te oporteat facere*. ità refert Baltazar Auis

in

in Serm. de S. Thoma. Possumus sinè vllo timore negare, Minoritæ quadam difficultate implexo apparuisse B. Virginem mediam S. Franciscum inter, & D. Thomam, & commonstrato D. Thoma dixisse: *Huic inhęre, eius enim Doctrina semper manet.* ità refert F. Ioannes de Mata Serm. de S. Thoma. Possumus sinè vllo timore negare, Reuelationem factam S. Catharinæ Senensi de Opinione contraria, quamuis aliundè habeamus illam esse fictam, & ex propria incude Aduersariorum fabricatam. Quòd si hę Reuelationes non sunt dubiæ fidei, neque possunt sinè vllo timore negari, ergo neque Reuelationes pro Immaculata erunt dubiæ fidei, neque poterunt sinè vllo timore negari.

9 Quòd autem S. Brigitta fuerit Canonizata tempore Schismatis, non propterea eius Reuelationes spernendæ sunt, & contemnendę; nam Caietanũ hoc opponentem, sic primo redarguit Dominicus Grauina Ord. Domin. 2.p.c.3.fol.189.de discern. Reuelat. Immeritò Reuelationem quandam S. Brigittę è diametro oppositã alteri S. Catharinæ Senẽsis eo nomine exsufflat Caietanus, quòd illi proptereà fides adhibenda non sit, quia S. Brigitta fuit Canonizata tempore Schismatis, licèt enim hoc verum sit, tamen à Martino V. fuit approbata Canonizatio anteà à Bonifacio IX. celebrata, quod Caietanus aduertere debuisset. Secundò Caietanum sic redarguit Catharinus Disp. de Immacul. lib. 3. fol. 42. non vidit primò, quòd si quæ dicit, vera sunt, multa illius Concilij, idest Constantiensis, Acta, quę totus Orbis suscipit, ac veneratur, verterentur in du-

bium; nec sanè considerauit, quòd illius S. Viduæ Canonizatio non solum plausibiliter toto Orbe recepta est, verum etiam specialiter à Martino, qui in eo Concilio Pontifex legitimè electus fuit, probata est, & ità probata, vt indignationem Dei, & Apostolorum suorũ Petri, & Pauli comminatus ijs, qui talem decreti Sententiam conaretur infringere; Pleraque alia contrà Caietanum vrget Catharinus loco cit. quæ ego libens prætereo, ne videar tanti viri Sapientiæ nimium detrahere;

10 Verùm longè pluris esse faciẽdã Reuelationem Brigittanam pro Immaculata, quàm oppositam S. Catharinæ Senensis, suadetur primò, quia illa Antiquior; 2. quia Reuelationes Brigittanę in contradictorio iudicio à Concilio Constantiensi, & vlterius à pluribus Summis Pontificibus præuio examine doctissimorum Virorum probatæ sunt, & commendatæ; & quod est maximè notandum, Cardinalis Turrecremata Ord. Dominicani, (quem Aduers. iactant Protectoris Fidei titulo olim insignitũ) auctoritate, & testimonio à calumnijs vindicatæ sunt Reuelationes Brigittanæ, ijsq; applicatã verba Iudith. c.8. Dixerunt Iudith Ozias, & Presbyteri, *Omnia, quę locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.* 3. quia S. Brigitta neutrius Ordinis, Franciscani, aut Donimicani fuit professa, aut habitum gessit. 4. quia Romana, & Vniuersalis Ecclesia eius Reuelationes in genere acceptat, & habet pro obiectoOrationis ad Deum, sic enim orat; Deus, qui B. Brigittæ Secreta cælestia reuelasti; & quidẽ Dominicus Grauina lib. cit. in princ. in cõcurrentia duarum

num Reuelationum inter se oppositarum, illam docet esse recipiendam, quæ approbatur, & recipitur ab Ecclesiā: 5. quia Reuelatio opposita facta S. Catharinæ refertur à D. Antonino, quē Canus lib. 11. de locis c. 6, & Catharinus lib. 3 de Immacul. fol. 4. c. 3. sugillarunt, quòd populares rumores potiùs, quā veritatem scripserint. 6. quia eamReuelationem habet S. Catharina in calce cuiusdam suæ Orationis, & ex alia parte constat, in aliquibus Orationibus falsa pleraq; contineri, nam orat. 18. dicit, Peccantē mortaliter amittere lumen Fidei. Orat. 16. Deum à Beatis videri per visionem increatam, & alia huiusmodi, quæ refert Velasq. in suo Tract. 7. quia Reuelatio S. Catharinæ non refertur à Scriptoribus diligentissimis vitæ S. Catharinæ, nec ab eius Confessarijs, assiduisq. Comitibus F. Raymundo, F. Stephano Carthusiensi, F. Thoma Senensi, nec ab ipso Antonino in Chronicis, sed solum in serm. de Conceptione; qui, An eius sit, pleriq. dubitant, ex eo, quòd in eo sermone fit mentio Bullarum Sixti. IV. qui fuit 12. annis posterior D. Antonino, hic enim floruit Anno Domini 1459. ex Trithemio, & Bellar. de Script. Eccles. At Sixtus IV. Pontifex fuit inauguratus Anno Domini 1471. Patet ergo ex his, Reuelationem Brigittanam non esse in numero earum Reuelationum, de quibus loquitur Syluester loco cit.

11 Ad. 2. & 3. patet Resp. ex dictis ad Primū, quia Reuelationes pro Immaculata sunt approbatæ ab Ecclesia, & Sede Apostolica, quæ est lapis Lydius Catholicismi puri, ac probati terræ, purgati septu-

plum,& de ijs nõ loquuntur Gerson,& S.Bernardus.
12 Ad 4. Resp. Verba Gelasij non esse fideliter relata, quia Gelasius dist. illa 15. c. Sancta Romana sic ait. *Item scripta de Inuentione S.Crucis Dominicę, & alia scripta de Inuentione S. Capitis S. Ioannis Baptistę nouellę quędam Reuelationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt, sed cum ad manus Catholicorum veniunt &c.* ex quibus patet, non loqui Gelasium de Reuelationibus cælitus factis à Deo, sed de Reuelationibus, idest, Inuentionibus nuperrimis S.Crucis, & S. Capitis S.Ioannis Baptistæ. Imò in originali S.Gelasij Papæ epist. Decret. Summorum Pontific. pag. 417. vt etiam notauit Postillator Gratiani in Margine, aliter legitur sic; *Nouellę quędam Relationes sunt.* Heù prisca fides.
13 Ad 5. Resp. Miracula adducta pro Immaculata quædam esse approbata à Summis Pontificibus, vt est miraculum subsecutum ad Reuelationem factã Elsino Abbati de hoc Festo celebrando; quædam alia à grauissimis Scriptoribus relata, fuisse approbata à locorum Ordinarijs seruata forma consueta in eiusmodi approbationibus, vt videre est in Corolla Virginea, in Armã. Seraphico in Reg. fol. 562. ideò haud uerè dicuntur esse somniata, aliàs pariter miracula, quæ eodem prorsus modo narrantur de S. Dominico, de S. Thoma Aquinate, & alijs Sanctis Canonizatis, dici merito possent somniata à Sectarijs, quod est absurdum. Sed esto somniata sint Miracula, & nulla prorsus existant, hoc idem maius est Miraculum, inquit Cosmus Philiarchus tomo 1. lib. 33. c. 22. de Off. Sacerd. quòd cum nulla antiquorũ
San-

Sanctorum,& Doctorum, nisi à falsarijs, (vt falsò inquit Caietanus) pro Immaculata Conceptione possit adduci auctoritas,& illius deuotio cæperit à muliercculis adiuta aliquorum industria quęstus gratia, sinè vllo miraculo, omnes Ecclesiæ, omnes ferè Religiosorum ordines, & omnes ferè fideles hanc sententiam toto corde,& magno animi feruore amplexati sunt, teneant, & sequantur; & ipsamet Romana Ecclesia Festum, & Officium celebret, & omnibus celebrandum proponit, quæ est Mater, & Magistra veritatis.

14 Ad id,quòd dicitur,quòd sola Dominicana Religio Contrariā defendat,non estità certū,vt supponitur,& assumitur, nam tunc,& in eo casu, verè diceretur Dominicana Religio Contrariam defendere, quando vel tota inclyta ea Religio,vel saltem maior eius pars in eam Sententiam consentiret, at secùs accidit, nam à pluribus Scriptoribus quamplurimi P.P.& Doctores celeberrimi eius Religionis longa Inductione adducuntur pro Immaculata; & eruditissimus Petrus de Alua, & Astorga in suo Sole Verit. benè trutinatis Doctoribus sexaginta ex illo ordine, qui dicuntur stare pro Contraria sententiā, vix numero tres suprà viginti,verè, & constanter pro contraria stare deprehenduntur; quæ sanè pars valdè parua,& exigua est comparata cùm innumera ferè multitudine Doctorum eius Ordinis sentientiū Immaculatæ, ergò longè abest à vero, quòd Religio Dominicana Contrariam defendat: ideòq.benè notat Catharinus disp. pro Immacul. ad Synod. Trid. p.2.fol. 111.in vno dimidiato Ordine Affirmatiuā,

&

& Contrariam sententiam serpere, & vigere.
14. Deindè neq. in admirationē quempiam rapit, neq. diuinum quid sapit, ad hæc vsq. tempora quoquomodo defensam fuisse Contrariam à Religione, vt aiunt, parvula, & inter omnes minima; nā Remora parvus pisciculus est, & Quadriremē sistit: Impigrè quamuis se segerentibus alijs, retardatur nihilominus à secunda velificatione Nauis, si vnus remigū, quamuis minimus, contranitatur; sed hæc omnia sunt, non miraculosa; naturalia, non Diuina. An non perspecta Aduersarijs est, S. Gregorij Papæ sententia; Tanta semper consilij moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tanta deliberationis grauitate profertur Apostolicæ Sedis sententia, vt retractatione non egeat?
15. Deniq; si sola D. Thomæ Auctoritate innixa est Contraria Sententia, qua fronte pro illa adducūt omnes alios S.S. P.P. & Doctores antiquos vsq; ad n. 100. vt videre est in Turrecremata, Seu verius Spina in Tract. de de Verit. Concept.? Vel vsq; ad n. 150, vt videre est in Recollect. Vincentij Bandelli? Vel vsq; ad n. 40. & 15. in Capreolo, Caietano? Quo iure, Deza, Grysaldus, & alij, dicunt; omnes Sancti tenent Affirmatiuam, si solus D. Thomas tenet? Terminus *sola*, seù *solus*, Auctoritates aliorum S.S. P.P. & D.D. excludit; sicuti quando S.S. P.P. dicunt, solum Christum fuisse immunem à peccato Originali, terminus, *solum*, per Aduers. excludit ab ea Immunitate B. Virginem; Quòd si terminus, *Sola*, non excludit Auctoritatem aliorum S.S P.P. & Doctorum, neq. terminus, *Solum*, excludit B. Virginem

ginem ab Immunitate ab originali.

ARTICVLVS VII.

An ex Approbatione Religionum sub Titulo Immaculatę, ex Votis, & Iuramentis factis pro Immaculata, bene colligatur Mariana Prę seruatio.

1 Videtur quòd non. Primò quia Vrbanus VIII. & Innocentius X. aduersus Titulum Stellarij Conceptionis Immaculatæ Bullam ediderunt, quaprohibitum pænaliter est exercitium eius Stellarij cuidam Confraternitati, ergò ea Confraternitas, quia erecta sub Titulo Conceptionis Immaculatæ, seù Præseruationis, non est approbata, sed prohibita, & reiecta.

2 Secundò quia Summi Pontifices approbantes eiusmodi Religiones, respexerunt ad Pietatem petentium illas approbationes, non ad Titulum, quem sanè non habent pro Obiecto talis approbationis, sed illum repetunt in Bullis non dispositiuè, sed recitatiuè.

3 Tertiò quia in Militia Christiana erecta ab Vrbano VIII. Titulus *Immaculatę* apponitur Virgini, non Conceptioni, ergo in approbatione Religionum nō habetur pro Obiecto Conceptio B. Virginis, vt Immaculata.

4 Quartò quia tempore Ioannis XXII. tenentis Opinionem illam de nimis tarda Visione Dei concedenda Sanctis post eorū obitū, multæ Academię iurarunt pro illa Opinione defendenda, quæ postcà dānata est; ergo ex Iuramentis factis pro defendēda Im-

maculata, haud validè illa probatur, & suadetur.

Sed contrà est Dicendum. Ex Approbatione Religionum, ex Votis, & Iuramentis emitti solitis pro Immaculata defendenda, validè colligi, Conceptionem Marianam fuisse Immaculatam, & Præseruatã à peccato Originali.

Probatur Primò; Quia quodlibet Institutum Religionis approbatum, & confirmatum à sede Apostolica fuit inspiratum à spiritu Sancto, quod patet, tum quia id expressè habetur in Reuelat. S. Brigittæ lib.7.c.20, & in Reg. Saluatoris, quæ est in Calce Reuelat.c.30; tùm quia alioquin Ecclesia in præscribendis bonis moribus posset errare, quia non haberet infallibilem Assistentiam Spiritus sancti, ideòq; ait D. Thomas Opusc.19.c. 40. *Cum aliqua Religio est per sedem Apostolicam instituta, manifestè se damnabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur.* quæ sanè doctrina non esset vera, nisi Sedes Apostolica haberet infallibilem Assistentiam Spiritus sancti in approbandis, & instituendis Religionibus, ergo cum ex alia parte Spiritus sanctus non possit inspirare motiuum falsum; idest, Institutum Religionis sub Titulo Conceptionis Immaculatæ, quæ Immaculata non sit, neq; possit inspirare illã Regulam, in qua dicitur, quòd *Anima B. Virginis à primo suę Creationis instanti sancta, seù Cœlestis fuit,* vt habetur in Constit. monialium Conuentus Toletani erecti sub Titulo Immaculatæ c.3. ergo ex approbatione Religionum sub Titulo Immaculatæ validè deducitur, quòd Mariana Conceptio verè fuerit Immaculata, & præseruata ab Originali; fuit autem

autẽ huiusmodi Religio Monialium approbata primum ab Innoc. VIII. tùm à Iulio II.

7 Probatur secundò quia: Calixtus II. confirmauit Ordinem Præmonstratensium à S. Norberto fundatum iussu Beatissimæ Virginis in honorem eius Puræ Conceptionis, & Vestes candidas huic Ordini concessas fuisse à Summis Pontificibus in honorem Purissimæ Conceptionis, Ludouicus, & Carolus Francorum Reges testantur. Videsis Armam. Seraph. fol. 132.

8 Vota etiam emissa in honorem Immaculatæ Cõceptionis, aut pro ea defendenda; approbata fuisse à Sede Apostolica; patet primò, quia Summi Põtifices approbando Religionem sub Titulo Immaculatæ, approbant etiam Votum eius Religionis, quòd Sorores emittunt hoc modo. *Ego N. ob Seruitium Domini Nostri Iesu Christi, & Immaculatę Conceptionis eiusdem Dei Genitricis voueo, promitto,* &c. Deindè Vrbanus VIII. primo sui Pontificatus Anno, die 12. Feb. approbans Ordinem Militarem in honorem Immaculatæ Conceptionis Marianæ, approbauit, & Votum emitti solitum ab ijs militibus his formalibus verbis; *Semper tuebor Conceptionem Matris Dei Immaculatę & in hac re, & in omnibus eius promouebo gloriã iuxta mentẽ* S. R. E. & Leo X. in Priuilegio concesso Confraternitati Immculatæ Cõceptionis incipiẽte, *Pia Christi*; quod habet Armam. Seraph. in Reg. f. 141. pariter approbat huiusmodi Vota his verbis. *Pia Christifidelium, & prę sertim in Immaculatę Conceptionis B. M. V. honorem tendentia Vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus.*

P Et

9. Et quia eadem militat ratio de Iuramentis, quæ fieri solent simùl cum Votis pro defendenda Pura Conceptione non solùm à sæcularibus Principibus Christianis, sed etiam à Locorum Ordinarijs, non est, cur in ijs specialiter immoremur.

10 Ad 1. Resp. Prohibitum fuisse recitari Coronã Stellarij sub Titulo Immaculatæ Conceptionis ab Vrbano priùs, tùm ab Innocentio non propter Titulum Immaculatæ, sed quia forma illa orandi erat inducta sinè Apostolica Auctoritate. Audi verba eius Decreti in principio. *Nè cuiuslibet relinqueretur arbitrio publicas precandi formulas instituere* Et versus finem, *& quę primo aspectu Pietatem redolēt, hostis Humani Generis arte per inobedientiam labefactētur.* Nil ergo solidi ex his hauritur contrà Immaculatam.

11 Ad 2. Resp. aliud esse, quòd Pontifex ad approbandas Religiones moueatur à Pietate, seù pijs precibus petentium; & aliud est, quòd approbantes Regulas, non approbent earum Obiecta, quod est Immaculata Conceptio; Regulæ enim sunt de veneratione Immaculatæ Conceptionis. Audi verba Approbationis emanatæ à Summis Pontificibus Innocentio VIII. & Iulio II. directa Monialibus, de quibus suprà. *Et eiusdem Dei Genitricis immaculatã Cõceptionem uenerãtes.* Ergo si approbantur Regulæ, si approbatur Veneratio Immaculatæ Conceptionis, quomodo non approbatur Immaculata Conceptio Mariana, quæ est Obiectum specificatiuum illius actus, & venerationis? non ergo repetitur Immaculata Conceptio recitatiuè, & eius veneratio dispo-

sitiuè, sed vel vtrunq. recitatiuè, vel vtrumq; dispositiuè. Deindè asserere, quòd Summi Pontifices in suis Bullis recitatiuè loquantur, perindè est, ac si quis diceret, eos fuisse locutos Psitacorum more; qui verba pronuntiant, & sensum eorū nōn tenent; vel ad modū Asinæ Balaam effutiuisse uacuos sinè mente sonos; at hoc est absurdum, & nullo modo tolerandum vel in Iudice aliquid decernente, vel in Principe, aliquid edicente, ideò nōn benè hoc Argumento, seù versus latibulo Decreta Pōtificia eluduntur, aliàs nullum omnino posset à S. Sede emanare Decretum, quod eodem Argumento non posset eludi, & infringi; consequenter non possent vllo vnquam tempore Pontifices Summi obligare, & adigere Fideles ad exequendum id, quòd præcipiunt, nec pœnas trāsgressoribus decernere; vndè si quis alterutram Sententiam de Immaculata Conceptione aliqua Censura inureret; non posset puniri, quia Pōtifex taxans pœnas, se habuit recitatiuè, nō dispositiuè; ergò si quandò dicit pœnas censurātibus alterutram Sententiam, nōn se habet recitatiuè, sed dispositiuè; etiam quandò dicit Immaculatam, non se habet recitatiuè tantum ad modū personarum nullo sensu informantium verba, quę proferunt, sed dispositiuè.

12 Ad 3. Resp. Non posse Titulum Immaculatæ apponi Virgini excluso eo Titulo à Conceptione, si enim Virgo est Immaculata, etiam vt Cōcepta est talis, quia Terminus, *Immaculata*, negatiuus cùm sit, excludit maculam pro quocūque instanti, quia vniuersaliter distribuit, & ad omnē tem-

pus se extendit, sicuti quia B. V. Virgo in genere Virginitatis, & Castitatis dicitur impolluta, non admittit vllam vel leuem maculam in quocunq; vel minimo instanti, aliàs non dicèretur in sua Virginitate impolluta, Immaculata.

13 Ad 4. Resp. quòd neq; Abraham Bzouius, neq; Lucas Vvadingus Historiarum illius temporis Scriptores, referunt, Academias vllas Iuramenta emisisse, aut Vota pro ea Opinione defendenda; solum referunt, fama vulgatum à Ioanne XXII. Parisios submissum fuisse Gerardum Ministrum General. Ord. Francisc. vt eam Opinionem de nimis tarda Visione Dei concedenda Sanctis post eorum obitum, disseminaret, mentibusque Doctorum Parisiens. instillaret. Sed contrà accidit, nam Parisien. Doctores, Rex Franciæ Philippus, Rex Siciliæ Robertus, maior pars Cardinalium, imò magna pars Hominum illo tempore cùm contrasentiret, factum est, vt demortuo Ioanne ea Opinio damnata sit. Quare sic vrgeo contrà Aduers. Maior pars Doctorum, maior pars Hominum Doctissimorum, Cardinalium, Episcoporum; Reges, & Principes Christiani Orbis omnes, sentiunt pro Immaculata, ergo si ad antiqua tēpora respiciendum est, teneretur Summus Pontifex quantocius pro Immaculata pronuntiare.

ARTICVLVS VIII.

An ex Scripturis litteraliter intellectis colligatur Præseruatio Mariana.

1 VIdetur quòd non. Primò quia; si ex aliquo Scripturæ loco haberetur Præseruatio Mariana,

riana, maximè ex illo ad satietatem vsque decantato, *Tota pulchra es, & macula non est in Te.* Cant. 4. Sed hic locus non intelligitur à SS. PP. de B. Virgine, sed vel de Ecclesia, vel de Anima Iusti, ergo.

2 Secundò quia, si ex alio Scripturæ loco deduceretur Mariana Præseruatio, maximè ex illo Salutationis Angelicæ, *Aue Gratia plena*, sed hoc idem dicitur de S. Stephano, quòd nimirum fuerit, *Gratia plenus, & fortitudine*, Act. 1. & tamen non fuit præseruatus ab Originali, ergo.

3 Tertiò quia. Si ex eo, quòd B. Virgini dixit Angelus, *Aue Gratia plena*, liceret credere, B. Virgini fuisse collatum quicquid Gratiæ conferri potuit, sub Christo tamen, sequeretur, licere quoque cras credere, quòd esset Concepta de Spiritu Sancto, sub Christo tamen, quia nõ esset Deus, & Homo. Quòd esset Viatrix, & comprehendens, sub Christo tamẽ, quia non in tam alto Beatitudinis Gradu. Quòd esset Deus, & Homo, sub Christo tamen, quia Christus masculus, & ipsa mulier, & alia similia possent deduci; de Christo enim solùm verum est, quòd ei non sit data gratia ad mensuram, cæteris autem secundum mensuram donationis Christi.

4 Sed contrà est Dicendum. Ex Sacra Scriptura litteraliter intellecta satis efficaciter colligi Præseruationem B. Mariæ Virginis à Peccato Originali.

5 Probatur Primò quia (vt habetur in Epist. Alexandri Episc. in Concil. Nicæno tom. 1. Concil.) PP. Concilij Niceni 1. ex illo Pauli ad Hebr. 1. *Qui cùm sit Imago, & Figura substantię eius.* Validè intulerunt,

ſerunt, Filium Dei (de quo ibi loquitur Apoſtolus) eſſe conſubſtantialem Patri, ergo ex illo Can. 4. *Tota pulchra es, & macula nõ eſt in Te*, intellecto à D. Tho. locis infrà cit. de B.V. valide, & efficaciter deducitur in B.V. nõ eſſe Maculã Originalẽ; & ex illo, *Gratia plena*, validè, & efficaciter deducitur, in B. V. fuiſſe Gratiã præſeruatiuã; tenet conſequentia, quia tota vis eius illationis conſiſtit in connexione conſequẽtis cùm antecedenti, ſed non eſſe in B. Virgine maculam originalem, vel in ea eſſe Gratiam Præſeruatiuam habet parem connexionem, cùm non habuiſſe maculam vt ſic, & in genere; & habuiſſe Gratiam Præſeruatiuam cùm Gratia vt ſic, & in Genere, ac habeat Filium eſſe conſubſtantialem cùm hoc, quod eſt, eſſe Imaginem, & Figuram ſubſtantiæ Patris, quia macula Originalis ſub macula vt ſic, & in Genere; Gratia Præſeruatiua ſub Gratia vt ſic, & in Genere continẽtur tanquam ſpecies ſub genere, tãquam termini particulares ſub Vniuerſali æquè, ac eſſe conſubſtantiale continetur ſub hoc, quod eſt, eſſe Imaginem, & Figuram ſubſtantiæ Patris, ergò ex hoc loco Cãt. 4. *Tota pulchra es*, & ex illo Lucæ 1. Gratia plena, efficaciter deducitur, in B.V. fuiſſe Gratiam Præſeruatiuam à macula Originali: Vel ſi ex his locis Scripturæ non deducitur efficaciter Præſeruatio Mariana, neque ex illo Pauli efficaciter deduceretur Conſubſtantialitas Filij cùm Patre, quod eſt abſurdum.

6 Probatur ſecundò quia PP. eiuſdem Concilij Nicæni probant, Filium eſſe Conſubſtantialem Patri ex illo Ioannis 14. *Qui videt me, videt, & Pa-*

trem

trem meum; Sic in forma, claritatis Gratia. Dicitur Ioann. 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, ergo Filius est Consubstantialis Patri; Huius argumẽti vis non in alio consistit, nisi in summa illa identitate, quæ est inter Patrem, & Filium in Diuinis, sed inter Christum, & Mariam, vt potè inter Filium, & Matrem adest ea maxima identitas, quæ esse potest, ait enim S. Petrus Damiani Serm. 1. de Natiu. B. V. *Deum esse in* B. *Virgine per identitatem*. Et Nicolaus Riccardius Illustris Doctor Ordin. Domin. in forma Litauneutica docet, idem esse dicere, *Christe audi nos, ac Sancta Maria audi nos*, propter identitatem, quę est inter Christum, & Mariam, ergo si ex illa idẽtitate, quæ est inter Patrem, & Filium in Diuinis, arguitur Cõsubstantialitas Filij in Diuinis cum Patre, à pari, ex identitate, quæ est inter Christum, & Mariam tanquam inter Filium, & Matrem, debet argui coimmunitas ab Originali B. Virginis, & Filij, licèt diuersò modo, quia Christus ex vi naturalis generationis, B. Virgo speciali gratia præuenta, habuit eiusmodi Immunitatem ab Originali: Quòd si ex ista identitate in Creatis non arguitur coimmunitas ab Originali Matris, & Filij, Mariæ, & Christi, neque ex identitate illa in Diuinis argueretur efficaciter Consubstantialitas Patris, & Filij in Diuinis, quod est absurdum.

7 Et quidem tanti fecit D. Augustinus identitatem istam inter Christum, & B. Virginem, vt ex ea efficaciter intulerit incinerationẽ Corporis fuisse communem in Christo, & B. Virg. *Cum enim caro Virginis sit Caro Christi; & sunt vna Caro multò ma-*

magis, & specialius, quàm Ioseph, Iudę, cęterorumque Fratrum Christi, quibus dicebat, frater enim, & caro nostra est; (sunt verba Augustini) *& multò magis sint quid vnum, cùm eodem Christo per gratiam. si de istis dicit. Volo Pater, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, quid ęstimandum est de Matre, vbi sit digna haberi, nisi in pręsentia Filij*. Ità discurrit S. Augustinus tom. 9. libr. de Assumpt. probans ex tali Identitate communem Incinerationem Corporis Christi, & Mariæ, ergò ex eadem Identitate Marię, & Christi tanquam Matris, & Filij efficaciter deducitur communis Immunitas ab Originali Christi, & Mariæ cũ disparitate mox assignata.

8 Quòd si ex ista identitate Christi, & Mariæ non deducitur efficaciter communis Immunitas ab Originali Christi, & Mariæ, neque cum Augustino posset efficaciter deduci cõmunis incineratio Christi, & Mariæ; & cùm PP. Nicænis Consubstantialitas Filij cum Patre in Diuinis, quod est absurdum.

9 Probatur tertiò quia. PP. Concilij Trid. Sess. 13. Can. 11. ex illo Pauli 2. ad Corinth. 14. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*. Probant efficaciter, de Fide tenendum esse; Sacramentalem Confessionem esse præmittendam ad sumptionem panis Eucharistici; sed maiorem connexionem habet macula Originalis, cùm *Macula non est in Te*; & Gratia Præseruátiua cum *Gratia plena*, quàm habeat, probet seipsum Homo cùm sumptione panis Eucharistici, vt patet ex terminis, ergò si ex illo, *probet autem seipsum Homo*, PP. Tridentini efficaciter intulerunt, ergò Confessio Sacramentalis præmittẽda

da est tãquã necessaria dispositio ad sumẽdãEucharistiã, pariter ex illo, ***Macula non est in Te.*** efficaciter infertur, ergò Macula Originalis non est in B.V.& ex illo, ***Gratia plena***, efficaciter deducitur; ergo Gratia Prçseruatiua fuit in B.Virgine. Quòd si ex hoc, *Gratia plena*, efficaciter non deducitur, quòd in B. Virg. fuerit Gratia Præseruatiua, & ex illo, ***Macula non est in Te.*** Non fuisse in B.Virgine maculã Originalem; neque ex illo, ***probet seipsum homo, & sic de pane illo edat***, efficaciter intulisent PP. Tridentini, Confessionem Sacramentalem de Fide esse necessariò præmittendam ad sumptionem panis Eucharistici, quod est absurdum.

10 Probatur quartò, quia Ecclesia vel de Fide, vel ut Fidei proximum, tenet, S. Ioannem Baptistam fuisse Sanctificatum in vtero Matris, ex illo Euang. *Exultauit Infans in vtero eius*, Lucæ 1. Sed maiorẽ connexionem habet, Maculam Originalem nõ fuisse in B.Virgine cùm illo, ***Macula non est in Te***; Et Gratia Præseruatiua cùm *Gratia plena*, quàm habeat Sanctificatio Ioannis Baptistæ cùm eius exultatione in vtero, quæ aliquando ex Arist. suprà p.1. art.5. solet naturaliter euenire, ergo si ex exultatione in vtero, arguitur efficaciter Sanctificatio in vtero; etiam ex illo, ***Macula non est in Te***; & ex illo, ***Gratia plena*** efficaciter arguitur in B.Virgine, non fuisse Maculam Originalem, sed fuisse Præseruatã ab illa. Quòd si ex *Gratia plena*; & ex, ***Macula non est in Te***; efficaciter non deducitur, in B.Virgine nõ fuisse Maculam Originalem, neque ex illa exultatione colligeretur Sanctificatio in vtero Ioannis

 Bap-

Baptistę, quod est absurdum.

11 Ad 1. Resp. Ea verba Cant. 4. intelligi à D. Thoma de B. Virg. non solum 3. part. quæst. 27. ar. 4. sed etiam in Serm. de Purific. B. Virg. & in Comp. Theolog. cap. 224. & ideò Aduers. eam intelligentiam respuere non possunt; Deindè ea verba intelligi de Ecclesia; vel de Anima Iusti, non tollit, quin etiam intelligantur de B.V. quia B. Virgo est pars Ecclesiæ præcipua, potissima; & eius Anima eminẽtiori modo est Sancta, quàm Anima cuiuscunque Iusti, ideò speciali, & singulari modo debent ea verba intelligi de B. Virgine, At non nisi asserendo, eã fuisse sinè Macula Originali in instanti suæ Conceptionis, quia esse sinè Peccato Veniali competit Angelis, competit Innocentibus, conuenisset & Homini in statu Innocentiæ, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 3. & pariter esse liberatum à Peccato Originali post primum instans Cõceptionis, & antequam exiret ex vtero, nil minus est commune aliis Sanctis, ideò si B. Virgo eminentiùs aliis Sãctis omnibus Sãcta est, remanet, ex eo eminentiùs Sãctam esse, quia in instanti suæ Conceptionis Præseruata fuit ab Originali, idque colligi ex illo Cant. 4. *Macula non est in Te*, satis validè, & efficaciter.

12 Ad 2. Resp. Quòd sicuti esse plenum gratia, dicitur de Christo, & de S. Stephano,ità tamen vt speciali modo verificetur de Christo; ità licèt esse plenum gratia dicatur de S. Stephano, & de B. Virgine, potest de B. Virgine speciali, & excellentiori modo verificari. Hinc D. Bernardus Serm. 3. super Missus est, ait. Non præiudicari singulari Gratiæ in

Ma-

Maria,quòd alii quoque dicantur pleni gratia, quia *illi dissimiliter à Maria*, quæ propterea ab Ecclesia dicitur, *Virgo singularis*, & vt benè notat Valentia tom.4.disp.2.quęst.1.part.2. κεχαριτωμένη participium significans, *Gratia plena*, positum sinè articulo, n, importat insolitum aliquod,& singulare; ità ex Apollonio Antiquissimo Grammatico Gręco, notat Turrianus,& ipse Græcè peritissimus in epist. ad Iacobum Amiotam Altisiodoren Episc.In quam rem Audi M.Albertum in Mariali cap.198.ad illud, *Gratia plena*,quia omnes gratias generales, & speciales omnium Creaturarum in summo habuit, & quia illas gratias habuit,à quibus omnis creatura vacua fuit.Audi D.Bonau.in Speculo cap.8.ad illa verba; *Dominus tecum*;Iste singulariter Mariæ Dominus sic singulariter in Maria fuit,quòd etiam ipsam singulariter Dominam fecit, quòd nunquam similem visa est,nec habere sequentem;dicitur ipsa singulariter Domini Filia,Domini Mater, Domini Sponsa, & Domini Ancilla facta est ; Maria est enim Filia Domini singulariter generosa,Mater Domini singulariter gloriosa,Sponsa Domini singulariter speciosa,Ancilla Domini singulariter obsequiosa . Audi denique Ecclesiam Græcam in Menæis die 13.Martii ode 8. *Omnia Tua ò Genitrix Dei, conditionem humanam excedunt.*

13 Ad 3.Resp.Quòd nos ex verbis Angeli nõ deducimus,licitum esse credere, B.Virgini fuisse collatum quicquid gratiæ conferri possit sub Christo tamen,sed solùm B.Virgini fuisse collatam Gratiam Præseruatiuam ab Originali,sicut Aduers.col-

igunt ex ijsdem verbis fuisse collatam Gratiam Sãctificatiuam. Si ergo ex collatione Gratiæ Præseruatiuæ valet inferre laxas illas consequentias, de quibus in Argumento; licebit easdem omninò consequentias inferre ex collatione Gratiæ Sanctificatiuæ; sed ex collatione Gratiæ Sanctificatiuæ non licet inferre laxas illas consequentias, quas vrget Caietanus in Opusc. de Concept. ergo neq; ex collatione Gratię Pręseruatiuæ licet laxas illas consequentias deducere, & inferre.

ARTICVLVS IX.

An ex Decreto Concilij Basiliensis lato pro Immaculata Conceptione benè colligatur Pręseruatio Mariana.

1 VIdetur quòd non. Primò quia non debet Ecclesia Romana accipere exemplum, seù formam ab Acephalis, quale fuit Concilium Basiliẽse, & ideò in hac parte meritò respuitur, ergo ex illo nequicquam conficitur pro Immaculata Conceptione Mariana.

2 Secundò quia: Concilium Basiliense edidit Decretum illud in odium defensorum Ecclesiæ Romanæ, vt testatur Card. de Turrecremata in Tract. de Verit. Concept. ad Calcem.

3 Tertiò quia: Decretum editum pro Immaculata in Basiliensi Concilio est manifestè cõtrà apertissima SS. PP. Ecclesiæ testimonia, & contrà Sensum expressum principalium Doctorum tàm Diuini, quàm Humani Iuris, ergo ex illo Decreto vtpotè in-

inualido,non poteſt quicquam confici pro Immaculata Conceptione Mariana.

4 Sed contrà eſt Dicendum. Ex Decreto lato à Concilio Baſilienſi Seſ. 36. efficaciter colligi Immaculatam Conceptionem, ſeù Marianam Præſeruationem à Peccato Originali. Dixi ex Decreto Concilii Baſilienſis lato Seſ. 36. quia licèt cùm aliis Theologis,& Concilio Lateranenſi fatear, & agnoſcam, illud Concilium fuiſse ſchiſmaticum,& illegitimũ, eoquòd Eugenium IV. Pontificem Summum per ſummam iniuriam à Pontificatu depoſuerit, tamen ex ea parte,& ex illo Decreto lato Seſ. 36. efficaciter colligi Præſeruationem Marianam à Peccato Originali

5 Suadet primò quia; PP. ad Concilium Baſilienſe conuocati iuſsu Martini V. priùs, deindè iuſſu,& auctoritate Eugenii IV. egerunt iuxta ſecretã Inſtructionem datam à Summo Pontifice Iuliano Cardinali Cæſarino Legato à Latere,& nomine Sedis Apoſtolicæ in eo Concilio Præſidenti, de hoc Articulo Immaculatæ Conceptionis definiendo, vt teſtatur Gabriel in 3. d. 3. & quidem orto,& durãte ſchiſmate, vt aduertit Suarez in Opuſcul. ſinè vllo ſchiſmate, ſed communi omnium conſenſu, nullo penitus diſcrepante, Conuentu in illo cæteroquì numeroſiſſimo Hominum Doctiſſimorum ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus accito, pronuntiatũ eſt pro Immaculata.

6 Suadet ſecundò quia Concilium Baſilienſe adæquatè adimpleuit partes Concilij; Concilium enim conuocatur, non quia Summus Pontifex non

ha-

habeat se solo auctoritatem definiendi Articulos Fidei, sed vt innotescat, quid sentiat maior pars Ecclesiæ, & quænam sint vtriusque partis fundamenta, vt benè adnotauit Amb. Penalosa in Vindic. disp. 14. cap. 2. At hoc plenè, & adæquatè est præstitũ à Cõcilio Basiliensi, quandoquidem *inspectis diligenter auctoritatibus, & rationibus, quę iam à pluribus annis in publicis Relationibus ex parte vtriusque Doctrinę, corã S. Synodo allegatę sunt, alijsque etiã pluribus super ea re visis, & matura consideratione pensatis pro Doctrina illa asserente gloriosam Dei Genitricem Mariam pręueniente, & operante Diuini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse Peccato Originali, sed immunem semper fuisse ab actuali, & Originali culpa; Sanctamque, & Immaculatam, tanquam Piam, &c. consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicę, rectę rationi, Sacrę Scripturę*, acceptauit, definiuit.

7 Suadet tertiò quia Basiliense Concilium in hac materia decidenda sę conformauit alijs Generalibus Conciliis, semper enim, quando in Ecclesia Dei viguit aliqua Cõtrouersia duarum opinionum contrarietate, & dissidio ventilata, eam tandem partem legitima, & generalia Concilia amplectendam esse censuerunt, quæ tribuebat, non quæ adimebat aliquid dignitatis, seù Honoris Deo, B. Virgini, Sanctisq; in Cælo regnãtibus, vt longa Inductione alibi ostendi; Cùm ergo Controuersia sit; An B. Virgini tribuenda sit, An adimenda Immunitas ab Originali; Basiliense Concilium eam partem, & sententiam elègit, quæ tribuebat, non quæ adimebat eam Immuni-

munitatem B.Virgini. Deindè in hoc puncto de Immaculata se conformauit Concilio Nicæno 1.in quo Theodorus habuit Homiliam,& in ea appellat, *vterum Virginis ab omni affectione immunem*, ergo immunē ab Originali,aliàs non immunē ab omni affectione 2. Se cōfirmauit Conc.Ephes.quod est dictū Sexta Synodus,in qua,vt refert Photius Epis.Constànt.in Epist.de 7.Synodis ad PrincipemBulgariꝑ, definitum est,B.Virginem appellandam esse I*mmaculatam*;non quidem mundatiuè,id enim non indigebat definitione,sedPræseruatiuè,3. se conformauit Concilio Francfordien.quod fuit Prouinciale,in quò Virgo fuit appellata, *Immaculata , prorsusque Pura*,& Christus dicitur de meliori terra etiā animata,& Immaculata , quàm Adam, Homo factus. Demum se conformauit Concilio Trid. non includenti in Decreto Generali de contrahendo Peccato Originali ab omnibus Adæ Posteris,B.Virginem.

8 Suadet quartò,quia vt benè aduertit Canisius lib.1.cap.7.de B. Virgine,Concilium Basiliense non fuit omninò reiectum quò ad illam partē , qua definit,B. Virginem nunquam subiacuisse Peccato Originali,licèt definitio ipsa approbata non fuerit, imò quò ad prædictum Decretum attinet, res ipsa testatur,Fidem,& celebritatem de hac ipsa Conceptione non modo nostra,sed etiam Maiorum ętate, tùm in alijs Ecclesijs, tùm in Romana Ritu publico confirmari:Hinc Bartholomæus Caranza Ord.Domin.in Sum.Concil.Ses.33.Cons.Basilien.notat in Margine:ab Eugenio IV.in suo Libello,*Moyses seruus Dei*,fuisse reprobatas tres illas propositiones de fini-

finitas à Basiliensi Sel.illa 36.quò ad PotestatemPapæ; nullam faciendo mentionem de reprobatione huius Decreti pto Immaculata; Imò Nicolaus V. qui approbauit Acta Concilij Basiliensis quò adCẽsuras latas,& collata Beneficia, Bullam edidit pro Immaculata, quam extare apud Augustinum Suarez Ord.Carmel.in Libro Statutorum eiusdem Ordin.Hyspali impresso Ann.1573. asserit Petrus Ojeda in Tract.de Concept.c.1.& hæc sanè est

9 Prima Coniectura,quòd hoc Decretum pro Immaculata editum à ConcilioBasiliensi fuerit à Sede Apostolica tacitè approbatum.

10 Secunda Coniectura potest esse,quòd Bernardinus de Bustis in suo Mariali par.1.Serm.8.p.2. in medio refert,extare Romæ de illo Decreto Bullam plumbatam,authenticam, & nunquam reuocatam.Gabriel Biel refert,se vidisse Basiliense Decretum sub plumbo more Romanæ Curiæ.Ioann.Carthagena tom.2.Hom.19. Catharinus Annot.in Opusc.Caiet.de Concept.lib.4.fol.359.idem testãtur & referunt huiusmodi Bullam plumbatam perseuerare Romæ authenticam,& nunquam reuocatam.

11 Tertia Coniectura est,quòd illud Decretũ fuit acceptatum in Concilio Prouinciali Auionẽsi coram duobus,diuerso tamen tempore, Apostolicæ Sedis à Latere Legatis,S.R.E.Cardinalibus, videlicèt,Card.de Fuxo,& Card.Auionensi.

12 Quarta Coniectura est, quòd singulæ Partes eius Decreti,excepta Definitione ipsa; fuerunt diuisiuè progressu temporis à posterioribus Pontificibus approbatæ,& cõfirmatæ,seù verius de nouo Decretæ,& stabilitæ.

Et

13 Et quidem prima eius Decreti pars; quòd videlicèt, *Negatiua ſit conſona Fidei Catholicę, Cultui Eccleſiaſtico, recta Rationi & Sacrę Scripturę*, iterum conualiditata eſt, & Decreta à Sixto IV. diſtrictè prohibens, nè quis Negatiuam inureret nota Hæreſeos, aut peccati mortalis reos faceret, qui celebrarent Feſtum Immaculatæ Conceptionis; hoc enim perindè eſt, ac ſi decreuiſſet, Negatiuam eſſe conſonam Fidei Catholicæ, Cultui Eccleſiaſtico, rectæ Rationi, & Sacræ Scripturæ, aliàs notam hæreſeos effugere non poſſent, qui illam tenerent; & peccarent mortaliter, qui Feſtum Conceptionis celebrarent. Secunda pars eius Decreti, quòd *nemo auderet Contrariam, & Affirmatiuam Sententiam prędicare, & docere*; confirmata eſt, & iterum Decreta à Paulo V. primùm, tùm à Gregorio XV. qui ampliauit Decretum huiuſmodi ad priuata colloquia, & Scripta. Tertia pars, quòd *Feſtum Conceptionis celebraretur*: Hoc plures conſequentes Pontifices decreuerunt, mandarunt. Quarta pars, quòd *lucrarentur Indulgentias hoc Feſtum celebrantes*. Et ſanè Pōtifices Poſteriores in dilargiendis huiuſmodi Indulgentijs Munificentiam Pontificiam ſatis euidenter expreſſerunt. Demùm videtur huiuſmodi Decretū etiam Diuinitùs fuiſſe penè confirmatum, quia quo die PP. Baſilienſes illi Decreto ſubſcripſerunt, lues teterrima, qua Baſilienſis Ciuitas affligebatur, extincta eſt. Ità refert Iacobus de Voragine Ord. Domin. Claudius Rota eiuſdem Ordin. in Hiſtor. Lombardic, Deza fol. 9. Armam. Seraph. in Reg. fol. 578. Paulò poſt illud Decretum editum, diſſolutū, ſchiſ-

ma est, Pax Ecclesiæ restituta, ad quam à Deo impetrandam editum fuerat Decretum huiusmodi; vt patet ex actis eius Concilij. Quinta Coniectura, quòd huiusmodi Decretum fuerit tacitè approbatum; est, quia istud Decretum fuit recitatum in lectionibus Officiorum Diuinorum in *B*reuiarijs Antiquis, etiam post Bullam Pij II. qui Basiliense Concilium declarauit fuisse illegitimum; Hisce oculis ipsemet vidi Venetijs hoc Anno 1661. *B*reuiarium Antiquum Romanum impressum Parisijs Anno 1537. in quo Decretum Concilii Basiliensis dispositum in tres Lectiones primi Nocturni in Officio Conceptionis infrà Octauam; legebatur.

14 Hinc *S*imon Starouolsius Primicerius Tarnouiensis in suo Epitome Conciliorum impresso Romę Anno 1653. fol. 352. refert, Concilium Basiliense reprobatum tantum quò ad ea, quæ de Auctoritate Concilii, & depositione Eugenii Papæ Decreta, & Sancita fuerunt. Coriolanus in suo Comp. Cōciliorum recenset Concilium Basiliense inter Concilia partim approbata, partim reprobata, vt videre est in Impressione Romana An. 1625. ergo Basiliense Concilium quò ad illud Decretum editum pro Immaculata, quia tacitè approbatum, non est, cùr respuatur; esto in reliquis schismaticum, & illegitimum fuerit.

15 Ad Primum Resp. Quædam Concilia fuisse à Romana Sede simpliciter approbata, quædam simpliciter, & absolutè reprobata; quędam verò partim approbata, partim reprobata, vt *S*ardicense, Syrmiense, Quinisextum, seù Trullanum, Constatiense,

&

& Basiliensi.Et quidem in eiusmodi Conciliis partim approbatis,partim reprobatis, seruatum hucusque est,vt ex parte reprobata,nullum inferatur prȩiudicium parti approbatæ;neque enim pars approbata minoris est Auctoritatis,& Fidei ex eo , quòd altera pars sit reiecta , & reprobata, quandò neque electissima grana ex admixtione palearum damnũ aliquod,aut præiudicium sentiunt,quia ergo ex hucusque dictis Concilii Basiliensis tàm pars illa, quæ complectitur Censuras , & Beneficia sit expresſè approbata,quàm pars illa , quæ complectitur hoc Decretum de Immaculata sit tacitè approbata,ideò secundum has partes præcisè non est, cùr Basiliense Concilium respuatur.Esto ex ea parte,qua Eugenium IV.per summam iniuriam deposuit, meritò respuatur.Et quidem Summi Pontifices,qui singulas partes huius Decreti diuisiuè progressu temporis Specialibus Bullis,& Decretis conualidantes tacitè approbarunt,non dicuntur sumpsisse exemplũ, seù formam ab Acephalis,vt patet,ergo neque si Romana Sedes definiret Articulum de Immaculata, diceretur sumere formam ab Acephalis.

16 Ad 2.Resp.Ex eo manifestè colligi Decretum pro Immaculata non esse latum in odium Defensorum Ecclesiȩ Romanæ,quòd huiusmodi Decretum fuit maximè fauorabile PP. Minoribus eximis,atque indefessis huius Mysterij Promotoribus, Auctoribus,& tamen ijdem Patres fuerunt acerrimi Defensores Ecclesiæ Romanæ, & Eugenii IV. nam opera Guilielmi à Casali MinistroGenerali. Carolus VIII.Franciæ Rex ; opera B.Ioann.Capi-

ſtrani Mediolani Dux, Burgundiæ Dux ad partes Eugenii tranſiere; ità refert Dormitius Tadæi in Hiſtoria illorum temporū,fol 62. 63. At quid in eo Concilio egerit Nicolaus quidam Burgundio ex Ord. Domin. qui noſſe cupit, legat acta Concilij Baſilien. Aeneæ Syluij, qui ad Pontificatū promotus, dictus eſt Pius II. Quid egerit Ioannes quidam ex eodem Ord. in Card. numerum cooptatus à Fælice PſeudoPapa, legat S. Antoninum in 3 part. Hiſt. tit. 22. cap. 10. non ergo in odium Defenſorum Eccleſiæ Romanæ latum fuit illud Decretum à Concilio Baſilienſi. Et quidem Turrecremata nec in Calce Tract. de Ver. Concep. nec alibi refert, huiuſmodi Decretum latum in odium Defenſorum Eccleſię Romanæ; neque poteſt eſſe teſtis oculatus, & idoneus, quòd res ità ſe habuerit, nam F. Ioann. Turrecremata (tunc enim non erat S.R.E. Cardinalis, vt refert Catharinus in diſp. poro Immacul. part. 1. in princ. & patet ex contextu eius Tract. de Verit. Cōcept.) teſtatur ibi, quòd ſtatim orto ſchiſmate diſceſſerit à Baſilea, & Decretum fuit latum Seſ. 36. lōgo iam tempore poſt ortum ſchiſma.

17 Ad 3. Reſp. Quòd ſi eiuſmodi Decretū eſſet expreſsè cōtra teſtimonia apertiſſima SS. PP. Eccleſię, nō poſſet Sentētia Negatiua tutò defēdi, nō poſſet tutò de Immaculata Conceptione Feſtum celebrari; imò qui aſſereret Immaculatam, poſſet hæreſeos notari, qui Feſtum celebrarent, peccarent mortaliter; & tamen Sixtus Quartus in vtraque Bulla *Graue nimis*, vtrumque dici diſtrictè prohibuit sub

diri

diri Anathematis pœna,& alijs arbitrarijs.

ARTICVLVS X.

An Communis Sensus SS. PP. & Doctorum Ecclesię sit pro Mariana Preseruatione.

1 VIdetur quòd non. Primò quia cum ad numerum Doctorum recurritur, conuincuntur Aduersarij Rationum pondere destitui, quasi verò Veritatis Theologicæ tessera sit numerus Doctorum, non qualitas rationis, aut Reuelatio; quasi Apostolis de Circumcisionis necessitate dubitantibus, numerandi essent Populi, non Scrutandæ Scripturæ; quasi à S. Sede debeant probari Ariminense, Basiliense Concilium, quæ numero præstarunt, reijci verò Lateranen. ac Trid. quæ paucitate Doctorũ sunt notata; qua de re Audi Damasc. ad Episcopos Illyrici Hist. Trip. lib. 5. & Liberium ad Constẽtem. *Non ex eo, quòd ego sim solus Fidei causa minuitur, nam & antiquitus tres soli reperti sunt resistentes precepto Regis.*

1 Secundò. Dato, quòd è numero Doctorum Causa ista decidenda sit, si Alberto, & D. Bonauenturæ credimus, tantus suo in Aeuo fuit consensus, tã communis vnitas in Sententia de Labe Originali in Virgine, vt nullus contrariam sententiam non solũ adstruere, & affirmare ausus fuerit, verum etiam nec de illa hiscere, aut mutire auderet. Baptista Mãtuanus lib. 1. *Et olim ista Hominum communis erat Sententia.* Si ergò è numero Doctorum dimetienda aliqua sententia est, qua firmitate, qua certitudi-

ne

ne gaudere credemus sententiam nostram, cùm illā Doctores non Recentes, sed Antiqui, quibus magis est adhibenda Fides, tenuerint, cum nullus de illa dubitare ausus fuerit, & nunc plures non solum ex Dominicana familia, sed etiam ex alijs celebrioribus Academijs inueniantur, qui de illa tanquam de Aris, & focis pugnare glorientur.

3 Tertiò quia: Licèt ad ingentem numerum Auctoritatum recurrant, quibus B. Virginis Conceptio dicitur Immaculata, tamen non est scrupulosè curandum de nominibus, cùm de reipsa & plures, & maioris momenti Auctores contrariam sententiam asserentes plena manu congerere possumus; pro vno enim, qui Conceptionem Immaculatam appellarit, nos grauissimorum Auctorum Myriades, qui eandem Maculatam, Mundatam, Sanctificatam nominarunt. Catalogum non attexo, quia obuii sunt cuilibet in Capreolo, Turrecremata, & Caietano.

4 Quartò quia, Vota ponderāda sunt, non numeranda; nec Populorum consensus definitiones Fidei facit, neque cogit, vt fiant. Ariana Hæresis ferè in omnes inualuit, & teste D. Hier. *ingemiscens Orbis terrarum se Arianum esse miratus est.* Baronius ad Ann. 359. num. 40. 49. Sub Pontifice B. Stephano tota ferè Ecclesia duobus tantum, vel tribus Episcopis exceptis, in Anabaptismum abiit, quia tamen nō adfuit Summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis Priuilegium residet, Ecclesia non errauit.

5 Sed Contrà est dicendum. Ex Auctoritate SS. PP. Antiquorum, & Modernorum efficaciter col-

colligi Marianam Præseruationem.

6 Et quidem ex Auctoritate Moderniorũ certò colligi Marianam Præseruationem adeò est in confesso, vt Aduers. vel ipsi, nè ad hunc lapidem offendentes contiagantur, suam sententiam Antiquorum PP. quibus maior est adhibēda fides, auctoritate fulciri glorientur; & quamuis asserant plures ex celebrioribus Academijs de illa eorum sententia, tanquam pro aris, & focis palàm pugnare, nullos tamen audent nominare, nè ad Tribunal S. Inquisitionis delati puniātur tanquam transgressores Decreti Apostolici silentium indicentis de ea Opinione, & permittentis priuatam collocutionem PP. Dominicanis inter seipsos solummodo, non cum aliis. Stāt ergo Moderniorum Theologorum turmæ pro Immaculata; videndum remanet, quid senserint Antiqui; Et quidem in Discursu olim meo Theologico Impresso Neapoli Anno 1659. enumeraui Propositiones omninò Centum Græcorum, & Latinorum PP. pro Immaculata, sed quia SS. PP. in eo adducti non excedunt numerum 38. Nunc vt validiùs Immaculata firmetur, Centum PP. Antiquos, & Doctores Ordine Alphabetico recensitos in Calce huius operis educam, exceptis paucis, qui licèt Moderni sint, & Recentioris Aeui, quia Sanctitate celebres, parem cùm Antiquis sortiuntur Auctoritatem, & Fidem. Nunc ad Argumenta in Contrarium, & quidem.

7 Ad 1. Resp. Quòd si recurrere ad numerum Doctorum, esset ratione destitui; planè Capreolus, Turrecremata, & Caietanus, qui pro Domo sua ad

nu-

numerum,& Myriades Doctorum recurrunt (vt fatentur vltrò Aduers.in 2.Argumento) conuincerẽtur ratione destitui: Vel si Capreolus, Turrecremata, & Caietanus, non conuincuntur ratione destitui, quãuis ad numerum Doctorum recurrant; neque erunt ratione destituti Assertores negatiuæ ex eo, quòd iustum numerum Auctorum, & Doctorum pro se adducant. Verum quanti semper in Ecclesia Dei fuerit DD. multitudo, & iustus numerus manifestè colligitur.

7 Primò ex Concilio Chalcedonensi Act.4. vbi nolentibus decem Episcopis subscribere Epist. Missæ à Leone Papa ad Concilium; Responderunt PP. *Ecclesia Dei maior est Prouincia Aegypti, & fide dignior.* Respondit Lucentius Sedis Apostolicę in eo Concilio Vicarius. *Non possunt decem homines prẹiudicium facere Synodo sexcentum Episcoporum.*

8 Secundò. Ex Concilio Nicæno reg.6. quam transcripsit Chalcedonense Act. 16. Si communi omniũ consensui rationabiliter probato, & secundũ Ecclesiasticam Regulam statuto, duo alij, vel tres per contentionem suam cõtradixerint, definitio obtineat plurimorum.

9 Tertiò. Ex Concilio Toletano VIII. cap.11. Cum verò aut quælibet Sancta Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quidpiam definitur, si pauciores per nescientiam, aut contentionem fortè dissentiant; commoniti plurimorum Sententiæ cedãt, aut ab eorum cætu cùm dedecore confusionis abscedant, aut Excommunicationis annuæ sententiam luant.

Quar-

10 Quartò ex Concilio Coloniensi celebrato Ann.1536.part.14.cap.17. In quo si ex communi omnium consensu rationabiliter cō probato secundum Ecclesiasticam Regulam; duo, vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia Sacerdotum.

11 Quintò ex Concilio Tridentino Ses.3. Nā, intelligens multos Prælatos accintos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo hùc veniant, cogitansque omnia ab ipsa Sacra Synodo decernenda, eo maioris apud omnes existimationis, & honoris videri posse, quo maiore fuerint, & pleniore PP. Cōsilio præsentia sancita, & corroborata, statuit, &c.

12 Sextò ex D. Ioanne Damasceno lib.1. Apolog. de Imaginib. Non infrequens, aut rarum quid inuentu est lex Ecclesiæ tradita, neque enim vna hirundo facit Ver, vti Gregorio Theologo, & ipsimet veritati videtur, neque enim vna sententia potest totius Ecclesiæ traditionem funditùs demoliri, & à termino terræ ad extremum vsque limitem cōuellere.

13 Septimò ex D. Augustino Epist.99. vbi ex eo probat, fuisse Adam salutem consecutum, quia ità sentit ferè tota Ecclesia. Audi verba formalia. De illo quidem primo Patre Generis Humani, quòd eū ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consentit; quòd eam non inaniter credidisse, credendum est, vndecunque hoc traditum sit, etiam si Canonicarū hinc expressa non habeatur Auctoritas. Eandem Doctrinam replicat D. Augustinus Epist.7. ad Marcellinū, dicens, quòd communis consensus Ecclesiæ æquiua- Scripturarū

let Auctoritati Scripturarum; præsertim cùm agitur de re controuersa,& vtrinque agitata,tunc enim verum est illud,*Vox Populi,Vox Dei.* Et illud Daniel.10. *Vox Sermonum eius, vt vox multitudinis.* Hinc Bellarminus Tom. 3. Controu. libr.4.capit.7.inter Notas veræ Ecclesiæ enumerat,Multitudinem credentium.

14 Verùm S.Damasceni verba in Argumento contrario adducta locum habent; cùm res de qua agitur,certa est,& definita,quando asserenda,& defendenda est aliqua Propositio de Fide, tunc enim vero,non,si totus mundus in contrarium feratur,fas est à vero recedere,& multitudini inhærere, quamuis numerosæ;& ideò Hæretici gloriati de corũ numerositate,exclusi sunt,& explosi à PP.monitis ex illo Exodi 23.*Non sequeris turbam ad faciendũ malum,nec in iudicio plurimorum acquiesces Sententiæ, nè à vero denies.*Porro Ariminense,& Basiliense nõ ex eo reprobantur,quia multitudine claruerunt,sed quia Ariminense fuit Conuentus Arianorum,Basiliense verò contrà ius, fasque omne Eugenium IV. legitimum Pontificem à Pontificatu abdicauit;perperam definiuit,Concilium esse suprà Papam,idest, membra super Caput,Oues suprà Pastorem,Milites suprà Ducem,& Imperatorem,subditos suprà Principem.

15 Ad secund. Resp.Nomine Maculatæ Conceptionis, quam Antiqui PP. & Theologi quondam communiter asseruerunt, intelligendam esse Conceptionem primam,seù seminum, quæ est formatio Carnis;non verò Conceptionem Secundam,

seù Naturarum, quæ est Animatio, de qua procedit præsens Controuersia. Quæ sanè distinctio inuenta, & excogitata non est à Modernis Doctoribus ad eludendam vim huius præcipui Argumenti ducti ex auctoritate SS.PP. & veterum Doctorum, sed est antiquissimo tempore inducta in Ecclesia, & tradita ab Antiquissimis SS.PP. Theologis, & Doctoribus, qui floruerunt antè ortam Controuersiam; In primis enim tradita est à D. Ambrosio in cap. 7. Epist. ad Rom. vbi habet. Non habitat Peccatum in Anima, sed in carne, quia peccati causa ex carne est, non ex Anima, quia Caro est ex Origine carnis peccati, & per traducem omnis caro fit causa peccati, Anima verò non traducitur, & ideò in se Causam peccati non habet. Deindè à D. Anselmo, qui floruit Annò Domini 1070. in Serm. de hoc Festo, vbi ait; Si non placet illius celebrare Solemnia Conceptionis carnalis Dominæ Matris, placeat eis colere Animæ eius Spiritualem Creationem, & Corporis, ac Animæ vnionem.

16. Hanc etiam distinctionem agnitam esse à D. Bernardo, qui floruit Anno Domini 1140. tradunt Angelus Manrique in Annal. Cister. ad Ann. 1141. cap. 8. num. 13. F. Biuarius in S. Bernardo Vindic. Gregorius Laurus in Vita B. Joachimi, qui testātur D. Bernardum Epistolla sua 174. ad Canonicos Lugdunenses reprehendisse Festum Conceptionis Seminalis, quam Ecclesia Lugdun. inconsulta Sede Apostolica celebrabat; & sanè cùm Auctores cit. sint eiusdem Ord. Cistercien. & Discipuli D. Bernardi, ijs potiùs est adhibenda Fides in asse cutione

mentis, & intelligentia D. Bernardi, quàm vlli alij; sicut Thomistæ in assecutione mẽtis, & intelligentia D. Thomæ contendunt sibi potiùs esse credendum, quàm aliis, quia sunt eiusdem Ordinis cum illo, & eius Discipuli.

17 Deindè hanc distinctionem tradidit Innocentius III. qui floruit Anno Domini 1198. nã tùm in Psal. 50. tùm in lib. de Contẽpt. Mundi capit 4. distinguit duplicem Conceptionem; vnam Seminũ; alteram Naturarum: Præterea hanc distinctionem agnouere Vlricus de Argentina M. Alberti Discipulus, & B. Iordanus, vterque Ord. Domin. quorũ verba retuli supra part. 2. art. 2. Eandem distinctionem tradidit Guido Archidiac. Bonbnien. in suo Ros. de Cons. dist. 4. c. si Baptizata his verbis. Prima Natiuitas secundum Carnem est triplex, scilicèt in Conceptione, Animę infusione, & in progressione ad lucem; floruit Guido Ann. 1283. vel 1300. Agnouit & hanc distinctionem Ioann. Gaufredus Canonista in suo Collectorio Impresso Parisijs Ann. 1514. lib. 5. Decr. c. firmiter de Sum. Trin. & Fide Cath. fol. 7. num. 38. his verbis. Sed nunquid B. Virgo antè Infusionem Animæ Sanctificari potuit? Theologi tenent, quòd non communiter, quia Caro, sicut Anima, non est capax Gratię.

18 Quandò verò primum cæpta est agitari Cõtrouersia de Immaculata, vsus est ea distinctione Henricus de Hassia Carthusianus Theologus suo tempore celeberrimus; & Institutor Academiæ Viẽnen. in suo Opusc. seù Epist. de hac Controuers. & floruit Ann. 1330. Licèt enim, vt benè notat Abbas

Lau-

Laurus vbi suprà, hodiè certum sit; & absque vlla Controuersia teneamus, Conceptionem Primam non esse capacem Sanctitatis, & Festi, sicuti neque est capax peccati; antiquitus tamen id erat omninò controuersum; nam hi, qui asserebāt Peccatum Originale consistere in morbida qualitate corporea, vt dixi suprà part. 1. art. 2. asserebant consequenter, Cōceptionem Primam, seù Seminum esse capacē peccati, idest, morbidæ huius qualitatis corporeæ, atq; ideò esse etiam capacem Sanctificationis, idest, expulsionis huius morbidæ qualitatis: è contra alii, vt modò sentiunt Moderni omnes cùm Thoma 1. 2. quæst. 81. art. 3. quia ponunt Peccatum Originale consistere in Priuatione Gratiæ habitualis, negabāt Conceptionem carnalem capacem esse Peccati, & Gratię, seù Sanctificationis.

19 De hac ergò Conceptione Prima, seù Seminali locuti sunt Sancti Antiqui, dicentes, B. Virginem Conceptam in Peccato Originali; minimè verò locuti sunt de Conceptione Secunda; quæ est Animæ Infusio, seù Animatio, de qua est præsens Controuersia: Et hoc est magnum, & palmare ęquiuocum, in quo laborant Aduers. & est Cardo totius contentionis, & Controuersiæ; putant enim Aduers. Antiquos PP. appingentes Peccatum Originale Marianæ Conceptioni, esse locutos de Conceptione sumpta prò Animatione; at verò illi locuti sunt de Conceptione Prima, seù Seminali: Et sanè hoc detecto æquiuoco, hac adnotata distinctione, facilè est Conciliare Antiquos PP. & D. Thomam cum Modernis PP. & Theologis, ac Ioanne Scoto; quia nimi-

mirum Antiqui loquuntur de Conceptione Seminali, quando dicunt, B. Virginem Conceptam in Originali, & ex alia parte vltrò fatentur, Animam B. Virginis semper fuisse Sanctam, semper Immaculatam, nulli culpæ, nulli næuo, nulli labi subiectam. è contrà Moderni DD. quando negant, B. Virginem Conceptam in Originali, sumunt Conceptionē pro Animatione, & ex alia parte vltrò admittunt, Conceptionem Primam, & Seminalem, seù Carnem B. Virginis fuisse infectam, & maculatam. Eadem quoque distinctione conciliantur ipsimet SS. PP. inter se se, nam vno in loco videntur asserere purā Conceptionem, in alio videntur negare; asserunt enim puram Conceptionem, sumptam pro Animatione; negant puram Conceptionem sumptam pro seminali formatione carnis.

201 Et quidem in hoc sensu esse locutos M. Albertum, & D. Bonau. adductos in Argum. patet ex eorum verbis manifestè. In primis Albertus M. in 3. dist. 8. art. 4. Quærens, An caro Virginis fuerit Sanctificata antè Animationem; respondet: *Dicimus, quod B. Virgo non fuit Sanctificata antè Animationem, & qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata à D. Bernardo in Epist. ad Lugdun. & ab omnibus Magistris Parisiensibus.* En quomodo Albertus loquitur de Sanctificatione Carnis, hæc enim sola est antè Animationem; & ratio vlterius reddi potest, quia Cōceptio, de qua loquitur Albertus, dicitur Hæresis cōdemnata à D. Bernardo, at Conceptio de qua est Cōtrouersia per Bullam Sixti IV. non potest dici Hæresis; non ergo Albertus loquitur de Conceptio-

ne,quæ eſt Animatio,ſed de Conceptione, quę eſt Seminalis,hanc enim ſanctificari habebatur tanquã Hæreſis,& tanquam omnino reiecta à Scholis. Nec poteſt dici,quòd tempore Alberti, & D.Bernardi eſſet hæreſis, dicere, Beatam Virginẽ antè ſui Animationem fuiſſe Sanctificatam, & tempore Sixti IV.non fuiſſe Hæreſim, quia aliàs Fides noſtra non eſſet Euangeliorum,ſed temporum. Verùm alijs ſuæ Doctrinæ locis, M. Albertum fauere Immaculatæ Conceptioni, & Pręſeruationi Marianæ oſtendam in Sacra Centuria. Eodem modo intelligendus eſt,& explicandus S.Bonauentura, & Baptiſta Mantuanus;communis enim olim erat ſententia,B.Virginem non fuiſſe Sanctificatam antè Animationem,& Conceptionem eius primam,& ſeminalem non fuiſſe Sanctam,licèt in præſentiarum omnes illi,qui eam faciunt immunem à debito, dicant,eius carnem non fuiſſe maculatam,& infectam vlla ſorde,aut labe Originali;à qua Quæſtione ego abſtineo in præſenti.

22 Ad 3.*Reſp.* ex hoc argumento colligi, nil firmi,nil certi,& ſolidi habere Aduerſ. quo pedem figant,& noſtram ſententiam expugnẽt; hic enim aiunt,non eſſe curandum dè nominibus, & quòd Antiqui PP.Beatam Virginem appellauerint Immaculatam;quia de re ipſa,ideſt,An fuerit Concepta in Peccato Originali conſtat,magnum eorum numerum,& Myriades SS.ſtare pro Affirmatiua; ſed quando illis obtrudimus,& vario argumentorũ genere inuictè probamus,B.Virginem eſſe Conceptã ſinè Peccato Originali;reſpondent;de re ipſa,ſe nõ

eſſe

esse sollicitos, sed de Titulo, videlicèt, An Titulus Immaculatæ debeat apponi Conceptioni, An Virgini: Similiter quando illis obiicimus DD. multitudinem penè innumeram; respondent; Vota nō esse numeranda, sed ponderanda, si vnus resistat, non propterea causa Fidei minuitur; si verò nos vnum, vel alterum Doctorem adducimus, & paucitate nos essé contentos, declaramus; respondent, se, pro vno, quem nos adducimus, habere Myriades DD. passim obuios in Turrecremata, Capreolo, & Caietano. Denique si Recentes Doctores adducimus; intrepidè, & magistraliter respondent, pluris faciendos esse antiquos, quam Recentes; At si Antiquos producamus, & quòd si nunc viuerent, mutarent sententiā; Respondēt Antiquos PP. viuere in Discipulis suis Modernis, & Recentibus. Nil ergò firmi, nil certi, quo eorum mens vltimate quiescat, assignant; non vnam habēt firmam, & certam Argumentorum Sedem, qua nostram Sententiam debellent; Quod est sanè manifestum, quàm quod manifestissimum inditium; Veritatem, quæ est vna, semper firma, & inconcussa, longè abesse ab eorum Castris.

23 Prætereà quæ Fides habenda sit Caietano in adducendis SS. PP. notant Cosmus Philiarcus de Offic. Sacerd. part. 2. lib. 23. capit. 23. Marraccius in Fide Caietana; addito præsertim, quòd Canus lib. 7 de locis dicit, Caietanum non esse admodum versatum in Lectione SS. PP. & reuerà Caietanus remissiuè adducit loca SS. PP. ex Turrecremata in Tract. de Verit. Concept. qui Tractatus, An Turrecrematæ sit, An Alberti Duimij, An Bartholomei Spinæ, du-

bium est,& valdè incertum,Deindè sæpè Turrecremata adducendo Auctores,non signat eorum Tractatus,neque Codices nominat,non Caput, non §. non paginam,aut folium refert; aliquando etiam nomen Auctoris silet;Do eius text. in terminis hic à me fide prorsus integra transcriptum.Igitur part. 6.cap.25.sic legitur.*Idem ad idem est alius antiquus Doctor Parisien.sequens Magistrum sentent.& Hugonem,cuius nomen non reperitur in libro,qui apud nos est.*Et cap.29.*Idem ad idem est Vlricus Argentinen.qui licèt non fuerit* Magister *morte præuentus Parisijs tempore Baccalauriatus, verumtamen sicut Religione,ità Doctrina fuit clarissimus*.Cap.32.*Idē ad idem est eiusdem Ord.Pater F.Aegidius Zamorēsis* Hispanus,*licèt propter distantiam à Basilea, vbi hęc scribebantur ad insignem istam Ciuitatem Zamorensem in Regno Castellę,vbi eius libri habentur, nō sint mihi ad manum.*Cap.35.*Idem ad idem est eiusdem Ordinis Doctor.Idem ad idem est Mag.Guarricus,cuius status fuerit,* Sęcularis, *an* Regularis, *cognoscere non potui.*Fateor à Turrecremata, seù veriùs Spina ibi, quam plures alios adduci consueta methodo,sed qua Fide,legesis Aluam in Sole Verit.per totum,Chryptophilum Marianum, & alios Scriptores pro Negatiua.

24 Prætereà,quæ Fides præstari potest Ioan. Capreolo,qui cùm Sex,aut quatuor adduxisset SS. Auctoritates,alias vsque ad num. 40.remissiuè citat;& earum Relatorem facit Gulielmum de Gannaco in Tract.de vera Innocentia Matris Dei? Et quidem vestigatis quam plurimis Bibliothecis hunc

Tractatum hactenùs reperire non potui. Postremò quia Codices Turrecrematæ, & Capreoli editi sũt ante Bullam Sixti IV. qui Libros tractantes de Cõceptione Maculáta, vetat haberi pro veris; apti nullo modo sunt ad faciendam Fidem.

25 Ad 4. Resp. Vota esse numeranda, non ponderanda, si non dubia, & incerta sit res, qua de agitur; secùs si dubia sit, & incerta, tunc enim videndũ est, quid sentiat maior pars Ecclesiæ, & quisnam sit sensus communis. Porrò inter Arianam Hęresim, & sententiam negatiuam, nullam prorsus esse paritatem, qui non videt, cæcutit in Sole. Illa dolis, & fraudulentis deceptionibus Orbẽ invaserat Vniuersum; Hæc nuda Veritate, & Sincerissimo Pietatis affectu ergà Sanctissimam Dei parentem omnium corda suauissimè allexit, attraxit. Illi Romana fides semper, & vbique contradixit, hanc in suum sinum recepit, fouit, fauoribus, honoribus prosecuta est. Pudet in re toto cælo diuersa ampliùs immorari. Tandem licèt fatear, in Aphrica ferè omnes Episcopos Cypriano bona fide errãti consensisse; extrà tamen Aphricam vix vnus, vel alter consensit, teste August. lib. 1. contrà Cresconium.

ARTICVLVS XI.

An Summi Pontifices Romani fuerint pro Mariana Pręseruatione.

1 VIdetur quòd non. Primò quia; si Antiquiora repetantur, nouem emunerantur Summi Pontifices, qui non recitatiuè, nec dubitatiuè,

nè, sed assertiuè, & clarè docuerunt, B. Virginem in Originali Peccato fuisse Conceptam. Damus pro nunc Innocentij II. verba. *Eua siquidem sinè culpa producta, sed filios produxit in culpa; Virgo autem gloriosa fuit quidem in culpa producta, sed filium sine culpa produxit.* Innocentij III. verba sunt. *Spiritus Sanctus priùs in Virginem venerat, quando in vtero Matris Animam eius ab Originali Peccato mundauit.* Innocentij V. verba sunt. B. Virgo fuit in vtero Matris Sanctificata; non antè Animationem, quia tunc Gratiæ capax non erat, nec etiam in ipsa Animatione, quia tunc Originale Peccatum non contraxisset, & sic non indiguisset Vniuersali Christi Redemptione, quod non est dicendum, sed piè credendum est, quòd citò post Animationem, vel ipsa die, & hora, non tamen ipso momento à peccato fuit per Gratiam mundata, & Sanctificata, aliter fuisset æqualis Puritatis cùm Christo, quod non est dicendum.

2 Secundò quia: Habemus euidens experimentum nullatenùs prætereundum. erigitur à Felic. Record. Vrbano VIII. Religio Militaris sub Inuocatione Conceptionis Deiparæ instantibus Ducibus Mantuæ, & Niuersę; quoties hic Titulus in Bulla incipiente, *Imperscrutabilis*, exprimitur; diligentissimè cauetur, vt verbum, *Immaculatę*, iungatur Virgini, non Conceptioni: & cum in aliqua Impressione Romæ tunc facta Titulus Immaculatæ Conceptionis vel per errorem, vel per fraudem irrepserit, sedulò mandante Papa, emendatus fuit, & recorrectus, vt probè intelligamus, Vrbanum noluisse in

præsenti statu Quæstionis vti Immaculatæ Conceptionis Titulo non tantùm dispositiuè, sed nec etiã recitatiuè, nec prædictorum Ducum Pietatem referendo, cùm tamen Iulij II. Leonis X. Sixti IV. non ignoraret exempla.

3 Tertiò quia. Romanos Pontifices nunquam in Bullis, Breuibus, Decretis, aut quibuscũque alijs in fauorem Contrariæ, & Negatiuæ sententiæ publicatis Titulum Immaculatæ addidisse Conceptioni Sanctissimo Domino Innocentio X. Religio Dominicana quondam exposuit.

4 Sed Contrà est Dicendum. Romanos Pontifices stetisse prò Mariana Præseruatione.

5 Probatur Primò quia. Ioannes Bacconius, qui floruit Anno Domini 1340. in 4. Sent. d. 2. q. 4. art. 3. tanquam de Re multorum Annorum antè se, & tanquam Testis oculatus refert; in Domo Carmelitarum cùm Cardin. interuentu fuisse celebratum Festum Conceptionis cùm Missa Solemni, & Sermone de eodem Festo singulis Annis, eique Festo interfuisse Summos Pontifices refert Carthag. de Arcan. lib. 1. Hom. 1. §. 2. & Auinione interfuisse Ioannem XXII. refert Iacobus de Valentia in Expos. super Mag. lit. N. Goron Chron. 55. Deiparæ. Sed Summos Pontifices interfuisse huius solẽnitatis Festo, audiuisse ab Ecclesiastico Declamatore Orationem pro Immaculata, est, fauentissimus sese declarasse Immaculatę Conceptioni, facto interim alto silentio de opinione opposita, ergò.

6 Probatur Secundò quia. Ab Adriano IV. qui flo-

floruit Anno Domini 1150. & Librum scripsit ad Petrum Pontiniacum pro Immaculata ad hæc vsq; nostra tempora, Summorum Pontificum nullus est, qui non se fauentissimum declarauerit Immaculatæ Conceptioni quà Indulgentiarum concessione, quà Religionum sub Titulo Immaculatæ approbatione, quà Festi præceptione, quà facultate liberè concessa eam opinionem instillandi in Animos Fidelium, quà alijs satis manifestis significationibus, vt longa Inductione probant Io. Euseb. Nierembergius in Theoria. Hyppolitus Marraccius in Pontificibus Marianis, à qua propterea ego abstineo breuitatis amantissimus.

7 Verum quia quicquid Pietatis, & obsequij, quicquid propensionis ergà Immaculatam Conceptionem progressu temporis, & diuisiuè præstiterunt Anteriores Pontifices & singuli, & omnes in vno Sanctissimo Domino Nostro Alexãdro VII. collectiuè quiuis inueniet; satis duco hic, præcipua quædam, quæ ille pręstitit, solùm referre. Is igitur vix Summus Pontifex inauguratus vbique locorũ, & Romæ præsertim, visę sunt Impressiones quam plurimæ cùm Titulo, & Epigraphe, *Immaculatę Cõceptionis*; In Agneis Cereis inter alias Sanctorum Imagines, depictam esse voluit Imaginem Conceptionis Immaculatæ cùm Epigraphe, *Et Macula nõ est in Te.*

8 Probatur Tertiò quia Summi Pontifices retractationem Sententiæ Contrarię, & Palinodiam canere aliquandò præceperunt eam publicè asserentibus, vt patet in IoanneMontesono iussu Innó-
cen-

tunt in prima,& proles Originalem contrahit in secunda. B. igitur Virgo ex Sententia Innocentij III. est producta in Culpa parentum, sed Filium produxit sinè Culpa, quia in Conceptione Filij Dei non fuit vlla Culpa in B. Virgine, vti solet esse in alijs Parentibus, quia non ex virili Semine, & carnali Concupiscentia, quæ venit nomine culpæ hic, sed de Spiritu Sancto concepit. Immeritò autem hæc verba tribuuntur Innocentio II. quia sunt Innocentij III. Fortassè Innocentij II. sunt verba illa. *Spiritus Sanctus priùs venerat in Virginem, quando Animam eius ab Originali mundauit.* Non quidem delendo Originale, quod inerat, sed præseruando; sicut etiam mundauit ab actuali, non delendo, quod inerat, sed præseruando, nè inesset. Denique Innocentius V. loquitur de Sanctificatione facta & in Carne, & in Anima simùl, tunc enim & in eo tantùm casu valet consequentia illata per Innocentiū, quòd B. Virgo non indiguisset Redemptione, quia si ponatur Sanctificata in Anima in instanti Conceptionis, & non in Carne, adhùc est in Virgine indigentia Redemptionis, vt dicam infrà ex Seraphino Capponi Illustri Doct. Ord. Domin. sic explicante verba D. Thomæ in 3. d. 3. art. 1. Vide Sacrā Cent. in Calce Operis.

10 Demum verba hæc Innocentij II. III. & V. ficta esse, & somniata ostendit validissimis Argumētis Chryptophilus Marianus in sua Trut. capit. 37. 50. & 57. Petrus de Alua in Sole Verit.

11 Ad 2. Resp. Quòd ille Ordo Militiæ Christianæ fuit institutus ab Vrbano ad instantiam Ni-

ue-

uenienſium Ducis, qui in ſupplici libello Titulum Immaculatæ appoſuerat Virgini, non Conceptioni, nullam prorſus hac in re agnoſcẽs diuerſitatem, ideò Vrbanus ſupplicem Libellum Bullæ ſuæ, vt moris eſt, inſerens, Titulum Immaculatæ, vbi repererat, reliquit, vt quam conceſſerat Gratiam, non aliam diuerſam ex diuerſitate Tituli conceſſiſſe videretur. Quòd autem mandante Papa, & mandante Vrbano iſte Titulus fuerit vnquam recorrectus in vllis impreſſionibus, manifeſtè cōuincitur ex eo, quia vt ſuprà etiam diximus, In Congregat. habita die 13. Nouemb. Ann. 1625. Vrbanus ſeriò monuit Emin. Patres, vt inſpicerent, nè ſua Sanctitas in hac materia aliquid ſtatueret contrarium ijs, quæ diſpoſita fuerant à ſuis Prædeceſſoribus, ergò cùm illi ſatis eſſent perſpectæ, & ſatis notæ Bullæ Iulij II. Leonis X. Sixti IV. dantes Titulum Immaculatæ Conceptioni, non Virgini, vt fatetur Argumentum; non potuit mandante Papa, mandante Vrbano Titulus ille recorrigi, tolli à Conceptione, aliàs præcepiſſet contraria ijs, quæ ſui Prædeceſſores decreuerant tollendo Titulum Immaculatæ, quem tribuerant ſui Prædeceſſores. Demùm Vrbanus VIII. die 21. Maij Ann. 1627. in Literis expeditis pro Iubileo de Conceptione in Conuentu Minorũ Salmanticenſi defert Conceptioni Titulum Immaculatæ. Ità Hier. Rodrig. reſ. 30.

12 Ad 3. patet Reſp. ex modo dictis, cùm enim conſtet in Bullis plurimorum Pontificum, Titulum Immaculatæ, fuiſſe appoſitum Conceptioni, haud veriſimile eſt Relig. Domin. cōtrariũ omninò expoſuiſſe Innoc. X.

AR-

ARTICVLVS XII.
An ex Pio, & Communi Sensu Emin. S.R.E. Cardinalium validè probetur Mariana Preseruatio.

1 Videtur quòd non. Primò quia Tres Eminentiss. Sanctitate Vitæ, & Doctrina celebres, Bonauentura Fidanza, Ioannes de Turrecremata, & Thomas de Vio Caietanus apertè fuerunt pro Conceptione Maculata, ergò.

2 Secundò quia: Bullæ Pontificię hucùsque editæ, quibus permittitur libera facultas opinandi in vtranque partem, editæ sunt de Consilio, & auditis Votis Eminen. S.R.E. Card. ergò non magis in vnam, quàm in alteram partem propendentes, indifferentes propterea ad vtranque, nullum pondus, & momentum maius addunt Sententię Negatiuæ Peccati Orig. in B. Virgine.

3 Tertiò quia. Emin. S.R.E. Cardin. non habent auctoritatem condendi Articulos Fidei; nec in ijs decidendis Votum habent decisiuum, ergo ex eorum pio sensu nil potest confici pro Immaculata.

4 Sed Contrà est Dicendum. Ex Pio, & Communi Sensu Emin. S.R.E. Card. Magnum pondus accedere Piæ de Immaculata Conceptione Sententiæ.

5 Probatur Primò quia: Emin. S.R.E. sunt Ecclesiæ Cardines; sunt primi, & Supremi Pontificis Summi Consiliarij, & Assistentes; ac propterea tã

in SS. Canonizationibus, & aliis grauissimis negotiis Fidei Christianæ eorum Vota exquiruntur, ergo ex eorum Pio, & Communi Sensu pro Immaculata, magnũ pondus accedit Sententiæ Negatiuæ.

6 Secundò quia. Ait D. Hieronymus Serm. 1. de Assumpt. B. Virgo Maria, quia fuit plena Caritate, ac Dilectione, idcircò sequitur post eam Purpuratorum exercitus; Sed Purpuratorum Exercitum sequi post B. Virginem, quia plenam Caritate, cedit in magnum honorem B. V. quæ ideò est caritate plena, quia nũquã, neq; in instãti Cõc. fuit vacua Caritate, & Gratia, ergo ex Pio, & Communi Sensu, ac sequela Purpuratorum PP. magnum pondus, & momentum accrescit Sententiæ neganti Peccatum Originale in B. Virgine plena Caritate, dilectione, & Gratia.

7 Quòd autem Communis Sensus Purpuratorum PP. sit pro Immaculata, probatur inductione, enumerando Ord. Alphabetico quamplurimos pro Negatiua Sententia Peccati Orig. in B. Virg. & quidem Primò.

8 Alanus Coetiuus Card. & Archiepis. Auionen. in Concilio Prouinciali Auion. Ann. Domini 1457. Decretum latum à Concilio Basiliensi pro Immaculata, obseruandum inuiolabiliter præcepit.

9 Albertus Austriacus Card. & Archidux Austriæ pro Immaculata Conceptione definienda, fusam scripsit Epistolam ad Paul. V.

10 Antonius Maria Gallus Sacri Collegii Decanus pro eadem declaranda corã Paul. V. Orat. elegantissimam habuit.

Ar-

11 Armandus de Plessis Par Franciæ, & Ludouici XIII. Francorum Regis primus à Consiliis in Libello de Perfectione Christiana capit. 4. & in Cathechismo Lect. 23. 34. Immaculatam Conceptionem asseruit.

12 Benedictus Vbaldus marmoream Columnam antè Templum S. Francisci Immaculatæ Conceptioni erexit.

13 Bonauentura Fidanza Immaculatam Conceptionem asseruit non vno in loco suę Doctrinæ.

14 Carolus à S. Spiritu Ord. Sanctissimę Trin. Redemptionis Captiuorum duos de Immaculata Conceptione libros euulgauit.

15 Clemens Monelianus in Comp. Cathechesis Instit. Impeccabilitatem B. Mariæ Virginis asseruit.

16 Constantius Sarnanus D. Thomam Aquinatem cùm Ioanne Scoto in hoc puncto, & Articulo de Immaculata Conceptione concordauit.

17 Dominicus Gymnasius Sacri Collegij Decanus enar. in Psal. 45. & alibi passim Immaculatam Conceptionem asseruit.

18 Franciscus Quignonius Officium Immaculatæ Conceptionis ordinauit, à Clemente VII. approbatum.

19 Franciscus Toletus è Societate Iesu acutissimis Argumentis I. C. probauit, euicit.

20 Franciscus Zabarella V. I. D. in 1 1. Decr. cap. 9. de Feriis c. conquęstus refert, Doctorē quendam Paulum nomine, dùm diceret, B. Virginē Conceptam in Peccato Originali, Cracouiæ coram

Vniuerso Clero expirasse.

21 Gabriel Tressius pro Immaculata Conceptione declaranda apud Paulum V. & Gregorium XV. nomine Philippi Magni Regis Hispaniarum Romæ diù laborauit.

22 Henricus Archiepiscopus Eborensis in Lusitania, Breuiarium edidit cùm Festo I.C.

23 Ioannes Algrinus Ord. Cluniacensis in exposit. Can. ad illa verba; *Sicut Lilium inter Spinas*: & ad illa alia. Tota Formosa, plura pro Immaculata Conceptione argumenta produxit.

24 Ioannettinus Doria Archiepisc. & Prorex Panormitanus de Propugnanda Conceptione B. Mariæ Virginis Solemne Iuramentum, & Votum vna cùm Populo Panormitano emisit.

25 Ioannes Lugo è Societate Iesu in Concione habita Romæ in Ecclesia S. Laurentij in Damaso me audiente coram Emin. Card. Francisco Barberino, in priuatis colloquiis frequentissimè, non vno in loco operum suorum Immaculatam Conceptionem asseruit, probauit.

26 Ludouicus Alemandus Beatorum Albo adscriptus à Clemente VII. in Concilio Basiliensi Decreto lato pro Immaculata Conceptione subscripsit.

27 Marcus Vigerius in suo Decachordo lib. 3. cap. 8. Immaculatam Conceptionem defendit.

28 Nicolaus de Tudeschis Lucerna Iuris sappellatus Com. 1. p. in 2. Decreti de Feriis c. cõquęstus Immaculatæ Conceptioni subscripsit.

29 S. Petrus Damiani Episc. Hostien. Maria-

nam

nam Præſeruationem aſſeruit locis infrà citandis in S.Cent.Veterum SS.PP.lit.P.

30 Petrus de Fuxo in Concilio Auionen.An. 1457.Decretum à Concilio Baſilienſi pro Immaculata,obſeruandum præcepit.

31 Robertus Cardin.Bellarminus è Societate Ieſu in celeberrimis ſuis Controuerſijs Immaculatam Conceptionem B.Mariæ Virginis pluribus Argumentis probauit.

32 Scipio Cobellutius egit apud Paul. V. vt numiſmata B.Mariæ Virginis imprimerentur cùm Epigraphe.*Concepta ſine Peccato Originali.*

33 Sfortia Pallauicinus è Societate Ieſu non ſolum in peculiari opuſculo,ſed & in aliis ſuo calamo dignis operibus Theologicis Immaculatam Conceptionem propugnauit.

34 Vitalis à Furno ſcripſit pro Immaculata Conceptione Opuſculum,in quo oſtendit,D.Thomam Aquinatem retractaſſe ſuam de Maculata Cõceptione Sententiam.

35 Ad Primum Reſp. D.Bonauenturam ſtetiſſe pro Immaculata,oſtendam infrà in S.Centur. Veterum SS.PP.lit.B. Turrecrematam non quidem in Tract.de Verit.Concept.qui eius germanũ opus non eſt,ſed in Decreto , loqui de Conceptione Seminali,quando docet ; B.Virginem Conceptam in Peccato Originali. Denique Caietanus in Opuſc.Negatiuam Sententiam appellat probabilem,& multitudine ſequacium Conſpicuam ; Sed An illud idem Opuſculum,in quo in contrariam, & affirmatiuam propendet , ſit eius germanum opus,

plerique dubitant. Videsis Vindicationem Caietanam.

36 Ad 2. Quòd cùm Bullæ adductæ in Argumento, & aliæ omnes hucusque à Summis Pontificibus emanatæ, fauentissimę sint Immaculatæ Conceptioni, haud vlli dubium esse potest, Eminentiss. S.R.E. Cardinales in illas consensisse; quia editæ sunt auditis priùs eorum Votis; & licèt libera sit facultas relicta opinandi in vtranque partem; attamen Summos Pontifices in Negatiuam Sententiã multò magis propendisse, ille fatebitur, qui legerit Speculum, in quo præiudicia illata contrariæ Opinioni per Bullas Pontificias, apertè conspiciuntur.

37 Ad 3. Resp. Auctoritate Purpuratorum PP. esse maximam; speculatiuas eorum opiniones esse contrariis probabiliores; practicè verò eorum opiniones, tanquam à Summo Pontifice Delegatorum in plerisque Congregationibus esse authenticas, atque adeo obstringere Conscientias, probat eruditè Caramuel in sua Theol. Fundamentali Fund. 5. num. 255. Et quamuis non possint condere Articulos Fidei, quod est proprium Summi Pontificis, neque ad illos condendos votum habeant decisiuum, quod est proprium Episcoporum, practicè tamen Articulos Fidei proponunt tàm in Materia Speculatiua, quàm practica, Hæreticos puniunt; Pœnitentes adiurant, & absoluunt, vt Delegati Summi Pontificis; ideò cùm maxima sit eorum Auctoritas, maximum quoque pondus ex eorundem Pio, & Communi Assensu, accrescit Negatiuæ Sententiæ Peccati Originalis in B. Virgine.

AR-

ARTICVLVS XIII.

An ex Pio & Communi Sensu Episcoporum diuersarum Ecclesiarum probetur Mariana Preseruatio.

1 VIdetur quòd non. Primò quia: Episcopi solùm quandò sunt in Concilio habēt Votum decisiuum in Materia Fidei,ergò quandò sunt extra Concilium tale Votum non habent,& consequenter ex eorum sensu nil certi potest hauriri prò Negatiua Sententia.

2 Secundò quia: Plures Episcopi insignium Ecclesiarum fuerunt pro contraria sententia: celebriores sunt S.Antoninus Archiepisc. Florentinus in multis suis Serm. & in 1.& 2.p.Chronicæ,M.Albertus Archiepisc Ratisponen.in suo Mariali, & in 3.d.3.Petrus de Tarantasia Episcopus Lugdunen. in 3.d.3.Ioann.Iacobus de Lausana EpiscopusLausanensis in 3.d.3: & super Eccles. Guliel. Episcop. Lugdun.in Summa de Vitiis,& Virtutibus, & in Serm.de Natiu.B.Virg.Martinus Episcopus Polonus Pœnitentiarius Papæ in Serm.Natiuit. Vlricus Episcopus Argentinen.in sua Summa lib.5.ca. 27. Reginaldus Episcopus Rothomagensis in 3.d.3.

3 Tertiò quia:MauritiusEpiscopus Parisiensis cùm tota Vniuersitate Parisiensi, (vt refert Altisiodor.in Summa)prohibuit, nè Festum Concep.celebraretur Parisijs,& hoc ideò,quia tenuit,B.V. verè fuisse Conceptam in Peccato Originali.

4 Sed contrà est Dicendum. Ex Pio,& Communu-

muni Sensu Episcoporum pro Immaculata magnū pondus accedere Piæ,& Negatiuæ Sententiæ.

5 Probatur Primò quia:Episcopi suntApostolorum successores,vt docentD.Augustinus in Psal. 44.Damasc.Epist.3. Leo Epist.98.D.Hieronymus Epist.3.ad Marcellam.Sunt Doctores , & Pastores Ecclesiarum , ad Ephes.4. ergò eorum communis sensus magnifaciendus est in ijs,quę ad Fidem pertinent,vt est Immaculata Conceptio , & Præseruatio Mariana à Peccato Originali , de quo tanquam de præcipuo Obiecto Redemptionis Christi in primis Sessionibus egit Concil.Trid.

6 Probatur Secundò quia : Summus Pontifex in Canonizationibus Sanctorum exquirit Vota Episcoporum Romæ existentium in Sacro Consistorio;& in Concilijs Episcopi habent Votū decisiuū; imò vsque ad tempora Clemētis V. & Ioan. XXII. præcedebant Cardinales.Fœlinus in cap.super his de Fide Instrum.Baryola in Aphoris. verbo Episc. ergo eorum communis sensus valdè conducit ad promouendum Articulum de Immaculata Conceptione.Porrò communis Episcoporum sensus colligitur ex iusto numero Episcoporum pro Immaculata Sentientium , & Ordine Alphabetico recensitorum.In primis igitur.

7 Alphonsus Tostatus Episc. Abulen.ad illa verba Isaiæ 7.*Ecce Virgo Concipiet.*Marianam Pręseruationem his verbis testatur.*Munda fuit Maria ab omni labe Origin sincera ab omni Peccato Mortali.pura ab omni culpa etiam Veniali.*

8 Aloysius Brancifortius Episc. Melphien, &

Ra-

Rapollen. in Synodo habita Melphiæ Anno 1660. in Epist. seù Orat. ad B. Virg. multis Argumentis, & Auctoritatibus, tùm Sacræ Scripturæ, tum SS. Veterum PP. Immaculatam Conceptionem tuetur, & euincit.

9 Arnestus Archiepiscopus Colonien. & S. R. I. Elector luculentissimam scripsit Epist. ad Vrbanum VIII. pro Immaculata Conceptiono declaranda.

10 Bernardus Episc. Montis Albani ab imminentis mortis periculo liberatus Inuocatione B. Mariæ Virginis Immaculatè Conceptæ, eius Festū quotannis solemniter celebrandum præcepit. Decreto Basiliensi pro Immaculata subscripsit.

11 Cœcilius Sedulius Oretanus Episc. in Hispaniis Immaculatam Conceptionem asseruit.

12 Didacus Lopez de Andrada Archiepisc. Hydruntinus de Purissima Deiparæ Conceptione librum composuit eruditissimum lingua Hispana.

13 Emanuel de Reynoso Episc. nouæ Segobiæ in Insulis Philippinis de Immaculata Conceptione B. Virginis librum composuit.

14 Ferdinandus Archiep. Coloniensis S. R. I. Elector in sua Diocæsi solemniter celebrandū Festum Conceptionis Immaculatę præcepit.

15 Florentius Conrius ex mente D. Augustini speciali Libello Immaculatam Conceptionem probauit.

16 Godescalcus Episcopus Atrebasensis Festum Immaculatæ Conceptionis in sua Atrebatensi Ecclesia celebrandum ordinauit, decreuit.

17 Gundisaluus Toletanus Archiepisc. Primus in Regnis Hispaniarum Festi Conceptionis Immaculatæ Institutor, de eiusdem Puritate Tractatum integrum,& plures Orationes in lucem edidit. Dicitur Planeta mundissima fuisse donatus à Sanctissima Deiparente,dùm in die Festo Cōcept. Sacra faceret.

18 Hyppolitus Episcopus Portuensis Martyrum Albo adscriptus Orat. de Sanctificatione B. Mariæ Virginis in lucem edidit:Hanc omnes Assertores Sententiæ Negatiuæ adducunt,quam & ego legi,& vidi in Biblioth.SS.Veterum PP.

19 Hugo Cauellus Archiepisc.Armacanus,& totius Hyberniæ Primas edidit Appēdicem ad q.1. d.3.de Immaculata Concept.B.Mariæ Virg.

20 Isidorus Hispalensis Episcopus Missale, & Breuiarium Mixtarabicum iussu Concilij Toletani IV.reformauit,in quo peculiare Officium B.Mariæ Virginis Immaculatè Conceptę legitur institutū.

21 Lupus Fernandez de Luna Archiepisc.Cæsaraugustanus Synodalem edidit Constitutionem de Festo Immaculatæ Conceptionis solemniter celebrando.

22 Ludouicus Crespinus, & Borgia Episcop. Plasentinus nomine Magni Philippi IV. Hispaniarum,& Indiarum Regis ad Alexandrum Septimum Orator pro pia Causa Propugnaculū omni genere Argumentorum instructissimum edidit pro Definibilitate proxima Immaculatæ Conceptionis: expressa,& exscripta Romam detulit omnium Episcoporum in Regnis Hispaniarum Vota, & Suffragia

iam

iam aliàs in Veteri Legatione, teste Luca Vvadingo, Paulo V. Pontifici Maximo oblata, & repræsentata.

23 Marcus Salmeron Episcopus Truxellen. de Mariana Præseruatione non semel excusas edidit Conciones plures.

24 Milo Episc. Aurelian. in sua Diocæsi Festū Immaculatę Conception. solemniter celebrandum sanxit.

25 Nicolaus Oræmius Episcopus Lexoniensis pro defensione Immaculatæ Conceptionis Librum edidit eruditissimum.

26 Petrus natione Anglus Patriarcha Constantinopolit. de Sacratissima Cōceptione Tractatum elaborauit.

27 Theodorus Episcopus Cyriæ ad illa verba Cant. 6. *Vna est Columba mea*. Marianam Præseruationem strenuè propugnat.

28 Ad primum Resp. Quòd sicut, cum agitur de Canonizationibus SS. in Sacro Consistorio, hoc est, in grauissimo, Sanctissimoque totius Orbis Senatu, Summus Pontifex exquirit Vota Episcoporum Romæ tunc temporis existentium, ità si Summus Pontifex vellet Marianam Præseruationem, tanquam Articulum Fidei, declarare, posset solita grauitate procedere exquirendo Vota Emin. S.R.E. Card. & Episcop. quæ sanè si essent omnia fauorabilia, aut maior eorum pars, si ita videretur Summo Pontifici, posset huiusmodi Articulum declarare pro Præseruatione Mariana; & sic actum iā esset de tantæ causæ acerrima conflictatione; quicquid deindè sit, quòd Episcopi solùm in Concilio legiti-

mè conuocato, habeant Votum decisiuum.

29 Ad 2. Resp. Episcopos pro sententia contraria adductos pronunciasse pro Conceptione Maculata, accipiendo, & intelligendo nomine Conceptionis, non Animationem ipsam, de qua est præsens Controuersia, sed fœtus coagmentationem, seù carnis formationem, vt suprà fusiùs est explicatum.

30 Ad 3. Resp. Quòd licèt Altisiod. fateatur, Mauritium Episcopum inhibuisse Festum Conceptionis, haud tamen vllum verbum facit de Vniuersitate Parisiensi, quòd idem præstiterit, quòd Mauritius circà Festum Conceptionis. Sed esto vt vis. Locutus est Mauritius Episcopus cum tota illa Vniuersitate de Conceptione Seminali, de qua celebrabatur antiquitùs Festum, vt patet ex Epistol. D. Bernardi ad Canonicos Lugdunen. Sed locutus nō est de Concept. sumpta pro Animatione; imò pro hac propugnanda: prima omnium Vniuersitatum, quæ iurarunt, & Vota emiserunt, fuit Vniuersitas, & Academia Parisina, qua etiam instante, imò & vrgente, coactus est Ioannes Montesonus suam de Maculata Conceptione Sententiam reuocare.

ARTICVLVS XIV.

An ex Pio, *& Communi Sensu Populi Christiani efficaciter deducatur Mariana Preseruatio.*

1 VIdetur quòd non. Primò quia: Apostolis de Circumcisione dubitantibus, haud benè visum est, consulere Populos, sed potiùs scrutandas

das esse Scripturas; & si Christus iterum in mundũ veniret, posset dici, quòd mutaret Fidem suam, vt conformaret se Populis; ergo ex communi sensu Populi acclamantis Immaculatam; non efficitur validum Argumentum pro Mariana Præseruatione.

2 Secundò quia: Plebs, & Vulgus non possunt condere Sententiam, nisi plebeiam, & vulgarem, idest, probabilem, ea probabilitate, secũdum quam probabile dicitur, quod pluribus videtur, sed non probabile in veritate, quod, scilicèt, sapientibus videtur; Vulgus enim probabile in apparentia, non in veritate constituit, vndè Exodi 23. dicitur; *Non sequeris turbam ad faciendum iudicium.* Vndè Gloss. *Non Populum, sed Doctores*, qui licèt sint pauci, sanioris tamen sunt consilij.

3 Tertiò quia Sacerdotes sunt Ductores, & Doctores Populorum, ergo non debent trahi à Populis, & ab illis duci, imò potiùs debent illos ducere, trahere, atque instruere, c. docẽdus dist. 62. *Docendus est Populus, non sequendus.*

4 Sed contrà est Dicendum: Ex Pio, & communi sensu Populi Christiani validè deducitur, & probatur Mariana Præseruatio.

5 Probatur Primò Auctoritate D. Augustini lib. 2. contrà Iulianum ex Posterioribus, qui hactenùs fuere desiderati, & ex MS. Codicibus editi nouissimè opera Claudij Monardi Ann. 1626. vbi ait S. Augustinus. *Fatemur Dogma nostrum esse Popularem, quia Populus Dei sumus qui proptereà est appellatus; IESVS, ipse enim saluum faciet Populum suum à Peccatis eorum, à quo Populo cum vestrùm*

vni-

mè conuocato,habeant Votum decisiuum.

29 Ad 2.Resp.Episcopos pro sententia contraria adductos pronunciasse pro Conceptione Maculata;accipiendo,& intelligendo nomine Conceptionis,non Animationem ipsam, de qua est præsens Controuersia, sed fœtus coagmentationem, seù carnis formationem, vt suprà fusiùs est explicatum.

30 Ad 3.Resp. Quòd licèt Altisiod. fateatur, Mauritium Episcopum inhibuisse Festum Conceptionis,haud tamen vllum verbum facit de Vniuersitate Parisiensi,quòd idem præstiterit,quòd Mauritius circà Festum Conceptionis. Sed esto vt vis. Locutus est Mauritius Episcopus cum tota illa Vniuersitate de Conceptione Seminali, de qua celebrabatur antiquitùs Festum,vt patet ex Epistol.D. Bernardi ad Canonicos Lugdunen.Sed locutus nõ est de Concept. sumpta pro Animatione; imò pro hac propugnanda: prima omnium Vniuersitatum, quæ iurarunt,& Vota emiserunt,fuit Vniuersitas,& Academia Parisina,qua etiam instante, imò & vrgente, coactus est Ioannes Montesonus suam de Maculata Conceptione Sententiam reuocare.

ARTICVLVS XIV.

An ex Pio,& Communi Sensu Populi Christiani efficaciter deducatur Mariana Preseruatio.

1 VIdetur quòd non. Primò quia: Apostolis de Circumcisione dubitantibus, haud benè visum est,consulere Populos,sed potiùs scrutandas

das esse Scripturas; & si Christus iterum in mundũ veniret, posset dici, quòd mutaret Fidem suam, vt conformaret se Populis; ergo ex communi sensu Populi acclamantis Immaculatam, non efficitur validum Argumentum pro Mariana Præseruatione.

2 Secundò quia: Plebs, & Vulgus non possunt condere Sententiam, nisi plebeiam, & vulgarem, idest, probabilem, ea probabilitate, secũdum quam probabile dicitur, quod pluribus videtur, sed non probabile in veritate, quod, scilicèt, sapientibus videtur; Vulgus enim probabile in apparentia, non in veritate constituit, vndè Exodi 23. dicitur; *Non sequeris turbam ad faciendum iudicium.* Vndè Gloss. *Non Populum, sed Doctores*, qui licèt sint pauci, sanioris tamen sunt consilij.

3 Tertiò quia Sacerdotes sunt Ductores, & Doctores Populorum, ergo non debent trahi à Populis, & ab illis duci, imò potiùs debent illos ducere, trahere, atque instruere, c. docẽdus dist. 62. *Docendus est Populus, non sequendus.*

4 Sed contrà est Dicendum: Ex Pio, & communi sensu Populi Christiani validè deducitur, & probatur Mariana Præseruatio.

5 Probatur Primò Auctoritate D. Augustini lib. 2. contrà Iulianum ex Posterioribus, qui hactenùs fuit desiderati, & ex MS. Codicibus editi nouissimè opera Claudij Monardi Ann. 1626. vbi ait S. Augustinus. *Fatemur Dogma nostrum esse Popularem, quia Populus Dei sumus qui propterea est appellatus; IESVS, ipse enim saluum faciet Populum suum à Peccatis eorum, à quo Populo cum vestrùm*

vni-

vultis sententiam separari, vos ipsos etiam separatis. & lib. 6. contrà Iulianum, cap. 4. si hac Sententia cōtrà vos Vulgus mouetur, nōnè hinc te potiùs oportet aduertere, ità esse vulgatam, vt nec notitiā possit fugere popularem? & paulò post; Homo egregius in grege non vis esse vulgari, rursus enim sententiam Vulgi respuis post tanta, quibus eum reddita ratione concitaueras grauiùs, quàm in Te fuerat concitatus, sed nimirum sua disputata considerans nihil Te talibus argumentis apud Populum in Catholicę Fidei veritate, & antiquitate fundatum agere potuisse, vel posse sensisti, vndè ad eum spernēdū contumacia rursus ora conuertis, eiusque partes, quibus constat, non immeritò nobis Christianorū infensissima multitudo sigillatim describendo, & deridendo percurris, &c. Rursus D. Augustin. libr. de Vtil. credendi, cap. 14. ait; Ego nullis me video credidisse, nisi Populorum, atque Gentium confirmatę Opinioni, & Famæ. Similia habet D. Augustinus Epist. 7. ad Marcell. & libr. 1. contrà Iulianum circà medium. En quomodo D. Augustinus ex communi Populorum sensu, & Opinione sæpè probat Fidei Catholicę Dogmata, ergo ex Communi sensu Populi Christiani acclamantis Immaculatam, validè infertur, quòd reuerà Conceptio B. Vig. fuerit Immaculata, & Præseruata à Peccato Orig.

6. Rursus D. Augustinus lib. 1. de Peccat. Mer. & Remis. cap. 7. Necessitatē Gratię Christi probat ex eo, quòd Christianæ Aures ferre non poterant, Paruulis non esse necessarium Baptismum; quare sic argumentabatur. *Necessarius est Paruulis Bap-*

tismus, cùm contrarium Christianę aures ferre non possint, ergo est necessaria Gratia Christi, quę per Baptismum confertur. Atqui Christianæ aures ferre nō possunt, quòd B. Virgo Concepta sit in Peccato Originali, ergò B. Virgo non est Concepta in Peccato Originali; ergo ex sensu communi Populi Christiani validè deducitur Mariana Pręseruatio.

7 Probatur 2. Principaliter quia: Ecclesiæ Romanæ stylus, & consuetudo est in Canonizationibus SS. perquirere de Fama Sanctitatis Sancti Canonizandi; & An Populorum frequens concursus sit ad eorum sepulchra, sed Fama Sanctitatis est cōmunis Populi Vox, & Opinio de Sanctitate Personæ Canonizandæ, ergo si communis Populi Vox, & opinio fateatur, & teneat Immaculatam, magnum indè pondus accedit Sententiæ Negatiuæ.

8 Et quidem, vt Communis Populi Vox, & Opinio sit prò Immaculata, necesse non est, vt omnes omninò nullo excepto ità sentiant, sed sufficit, si maior pars ità sentiat; nam in Scripturis Sanctis, & apud SS. PP. maior pars sumitur pro toto, ideòq; ait S. Augustinus *Epist.* 59. ad Paulinum, morē Scripturæ esse ità loqui de parte, tanquam de Toto. Corinthios in prima suę Epist. parte ità laudat Apostolus, tanquam omnes tales essent, cùm tamen eorum quidam tales essent, sed non alij, quos propterea in contextu eiusdem Epist. redarguit, vt patet ex 1. ad Corinth. 1. Pariter in Phrasi D. Augustini maior pars Collegii Apostolici æquiualet toti Collegio, ità refert S. Thom. in Epist. 1. ad Corin. c. 15. Lect. 1. ad illa verba Marci vlt. *Visus est Vn-*

de-

decim Apostolis. Vbi ait S. Thomas. Semel quidem visus est decem, quando Thomas erat cùm eis, Augustinus dicit, quòd debet dicere duodecim; sed est corruptum vitio Scriptorum, non enim refert, quòd Iudas abierat, & nondum erat electus Matthias, quoniam consuetum est, quòd quando maior pars Collegii aliquid facit, dicitur, quòd totum Collegium id facit, vnde quia Dominus elegerat duodecim, ideò potest dici, quòd visus est duodecim, idest, toti Collegio Apostolorum, sed non est vis siuè dicatur duodecim, siuè vndecim.

9 Prætereà in Re morali idem est totum, & maior pars, nam æquè mortaliter peccat, qui relinquit totum Officium in probabili sententia, & qui relinquit partem notabilem: Ecclesia æquè proponit adorandum totum aliquod Corpus alicuius Sãcti, & partem eius notabilem: Si ergo maior pars Populi Christiani acclamat Immaculatam Conceptionem B. Virginis, meritò potest dici, quòd totus, & omnis Populus Christianus pro illa sit.

10 Ad 1. Resp. Vtique scrutandas esse Scripturas, sed in ijs, de quibus Scripturæ non loquuntur, loco Scripturarum est sensus communis Populorum. Audi Augustinum Epist. 7 ad Marcellinum; neque enim vt videamus, quàm aliquid sit verum, Scripturarum auctoritas necessaria est, & non sensus ipse communis, vt quisquis contradixerit, demẽtissimus habeatur. Ad id, quod additur, Fidẽ Christi fore mutandam, si denuò in Mundum Christus veniret, vt Populis se conformaret; quis non videt, latam esse disparitatem inter materiam Fidei, &

eam,

eam, de qua est Sermo; nam hęc dubia est, & vtrinque Controuersa, & ideò in ea maior pars, aut etiã Populi consensus, sicut æquivalet toti, ità etiam præualet; At materia Fidei, immutabilis est omninò, quia certa; in his autem, quæ certa sunt certitudine Fidei Diuinæ, non est attendendum, quid sentiant Populi.

II Ad 2. & 3. Resp. Aliud esse loqui de Plebe, aliud de Populo, quia Populus non solum plebeios, & rudes Homines, sed etiam Sacerdotes, & Doctores complectitur: Quid ergo sentiat Populus, magni faciendum est in ijs, quę sunt Controuersi iuris, vt patet ex dictis; esto parum curandũ sit, quid Plebs, rudes, & imperiti Homines garriant.

ARTICVLVS XV.

An exaudiendę sint Preces Principum pro Mariana Prę[s]eruatione.

I Videtur quòd non. Primò quia, licèt admittamus, B. Virginem Conceptam esse sinè Peccato Originali, adhuc Summi Pontifices debēt resistere, & non ità facilè petitionibus Regum acquiescere, concedendo Titulũ *Immaculatę*: patet exemplo Papæ Hormisdæ, qui, vt ait Baronius ad Ann. 418. nunquam vel precibus, vel minis adduci potuit, vt Propositionem illam, *Vnus de Trinitate passus est*, quamuis veram, & Catholicam Monachis Scythis vsurpandam concederet, asserens, illã Propositionem nouam esse, neque illa indigere Ecclesiam; licet enim obiectiue idem sit, B. Virginem

esse Conceptam sinè Peccato Originali, & eius Conceptionem esse Immaculatam, differunt tamē in modo significandi, nam Propositio, quæ affirmat, vel negat, indicat sensum, vel opinionem priuatam proferentis; terminus verò complexus, præsertim verò Epithetum, seù attributum importat Principum, seù Vniuersitatum approbationem, seù consensum: Hinc est, vt licèt Dux Mantuæ sit Magnus Dux, Titulus tamen Magni Ducis non illi attribuitur, sed Duci Hetruriæ: similiter licèt Suarez sit Magnus Doctor, non tamen habet Titulum Magni, sed talis Titulus attribuitur Alberto; cùm enim termini, quibus exprimūtur Tituli, sint principia Sermonum, per eos denotatur communis consensus. Si ergo simpliciter, & absolutè diceretur, Conceptio Immaculata, videretur importari, esse communem Ecclesiæ sensum, quòd illa talis sit. Prætereà etiam dato, quòd nulla esset differentia inter illam Propositionem, & Titulum Immaculatæ, adhùc talis Titulus non esset concedendus, nam licèt idem sint; *Beata Virgo est Concepta sinè Peccato Originali*; è, *la B. Vergine è Concetta senza Peccato Originale*; tamen illam permisit Pius V. hanc prohibuit.

2 Secundò quia. Ex Baronio ad Ann. 418. & seqq. cùm repetitis precibus rogarent Hormisdam non solum Iustinianus Imperator, sed etiam totius Orientis Episc. in diuersis Synodis Congregati, vt Macedonium, & Euphemium sola Acatij schismatici, & Hæretici communione pollutos, restitueret; adduci nullo modo potuit Hormisda, vt Imperatori satisfaceret, qua de re ait Baronius loco cit. Exē-

plum

plum ab Hormisda posteris est traditum Pontificibus, quod acceptum ipse à maioribus reliquit integrè custoditum, non ob gratiam Imperatorum, aut Regum quantumlibet importunè petentium, non precibus quātumlibet magnorum Antistitum vel ex Synodo ad id præstandum, vrgentium; non cuiusuis dignæ causæ prętextu, quo magnarum etiam Prouinciarum restitutio polliceatur, debere Romanos Pontifices vel minimum quid deflecti; *cùm à Maioribus accepta Fides lęditur, vel in suspitionem adducitur, vel traditio seruatur, aut illibata semper existens Communio Catholica polluitur.*

3 Tertiò quia: Dicitur Act. 13. Iudæi autem concitauerunt mulieres Religiosas, & honestas, & primos Ciuitatis, vt excitarent persecutionē in Paulum, & Barnabam, vbi rectè Caietanus; *Arma Diaboli sępè Mulieres Religiosas, idest, Beguinas, & primos Ciuitatis, inter quos sæpè Aulici, & sub Specie Pietatis vsos esse Iudęos ad excitandas persecutiones in Ecclesiam.* Vt propterea maxima cura adhibenda sit a Principibus in precibus porrigendis; summa diligentia à Pontificibus in illis exaudiendis,

4 Sed Contrà est Dicendum. Preces Principum pro Immaculata esse exaudiendas, idest, posse licitè exaudiri; Dico, licitè exaudiri, quia, An expediat exaudiri, pendet à Summi Pontificis arbitratu.

5 Probatur primò quia; Refert Baronius ad Ann. 447. num. 22. quòd cùm Hispani, Franci, & alii omnes Boreales Populi offenderentur, ac pro-

indè periculum schismatis ortum esset, eo quòd Romana Ecclesia in Symbolo Niçæno non addidisset ea verba; *Filioque procedit*; quibus verbis Doctrina olim tradita à Magno Leone III. Episcopis Hyspaniarum ad discernendos Catholicos ab Hæreticis, respui videbatur; placuit Benedicto VIII. Ann. Domini 1014. ad preces Henrici Imperatoris ea verba in Symbolo addere; & præcipuè; vt cùm illo additamento in Ecclesia caneretur. Coriolanus de Concil. General. fol. 101.

6 Secundò quia; Ioannes XXII. suam illam Opinionem de nimis tarda visione Dei concedenda Sanctis post Generalem Resurrectionem Mortuorum; quamuis fundatam in Auctoritatibus SS. PP. Bernardi, Tertulliani, Lactantii, Victorini, Prudentii, Iustini Martyris, Irenei, Origenis, Theodoreti, Oecumenii, Theophilati, Eutimii, & aliorum, quos refert Sixtus Senen. lib. 6. Biblioth. Ann. 345. nihilominus ad preces Caroli VII. Francorum Regis, Roberti Siciliæ Regis Ann. XVII. Pontificatus sui eam Sententiam reuocauit, vt patet ex quadam Epist. responsiua ad Carolum Regem Franciç, quam refert Villanus lib. 7. Vvadingus in sua Chronica, tom. 3. fol. 400.

7 Tertiò. Paulus V. ad preces Philippi III. Hyspaniarum, & Indiarum Regis, Religiosissimi Principis; Decretum edidit Ann. Domini 1617. die 31. Augusti. Nè Contraria, & Affirmatiua Sententia Peccati Origin. in B. Virg. amplius proponeretur in publicis Actibus, nec amplius doceretur in Cathedra; nec prædicaretur è suggestu; nec disputaretur in Thesibus.

Quar.

8 Quartò Gregorius XV. ad preces Philippi IV. qui Philippo III. Religiosissimo Parenti non solùm in Regno, sed & in Pietate ergà Marianã Conceptionem Immaculatam felicissimè successit, Decretum edidit Anno Domini 1622. die 2. Iunij, quo eadem Contraria, & Affirmatiua Sententia reiecta est à priuatis etiam colloquiis; & scriptis; & tàm longè abest, vt preces à Pientissimo Rege oblatæ Sanctissimo Pontifici molestiam vllam creauerint, quin potiùs, vt idem Pontifex fatetur in Epist. ad eundẽ Regem, ingenti gaudio Pontificium animum cumulauerint; Audi verba formalia. Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nuperę litteræ Maiestatis tuæ de Immaculata Deiparæ Conceptione differentes: O curam Catholico Rege dignam; & Christi Vicario gratissimam.

9 Pro coronide sit Praxis Romanæ Ecclesiæ exquirentis omninò ad Sanctorum Canonizationem prӕter Virtutes, & Miracula Sancti Canonizandi, preces, & instantias Principum Christianorum; Recentissimum habemus exemplum de Canonizatione S. Thomæ Villanouani, quę nomine Magni Philippi IV. Hyspaniarum, & Indiarum Regis, ab Eminen. Card. Columna petita est instanter, instantius instantissimè.

10 Ad 1. Resp. Quòd afferre exemplum Hormisdæ, est omninò saltare extrà Chorum, nã Hormisda illã propositionem non admisit, quia noua; Titulus verò Immaculatæ à tãto iã tempore est attributus Conceptioni Marianæ, vt notum est ex Bullis Pontificijs; & quia Pontificum auctoritate

Titu-

Titulus ille inductus est, publica Summorum Principum Auctoritate fuisse inductum, non est dubitandum. Deinde Hormisdæ constantiam laudatam ab Aduersarijs, inuenio reprehensam ad titulum nimiæ rigiditatis in S. Martino Papa, & S. Ioan. Chrysostomo à Francisco Cambefisio Illustri Doctore Ordin. Domin. in Hist Monoth. §. 14. Audi verba formalia. Fuerat à Constante Imperatore publicatum solemne edictum, cui nomen Typo, quo præscribebat, dimittendas voces vnius, aut duarum operationum in Christo; hoc rigidius iusto accipiens S. Martinus Auctorem Typi Paulum Constantinopolitanum exauctorauit, nil veritus iram Imperatoris, qui Typum ad bonum pacis euulgandum edixerat, atque comprobarat; Potuisset ergo Sanct. Martinus Typum benignè interpretari, tanquam indicens nouum duntaxat silentium, non autẽ professionem vnius, aut geminæ voluntatis, & operationis; qua ratione S. Basilius, & Gregorius Theologus, (ut refert Ioann. Constantinopolit. Epist. ad Constantinum Papam, nu. 43.) Indulserunt Macedonianis, vt Spiritum Sanctum non dicerẽt Deũ in actu signato, dummodò reipsa non excluderent à Diuinitate: nullam talem Indulgentiam circa Typum, & Typi defensores admittere volens S. Martinus, adunauit in se eam molem ærumnarum, qua oppressus est, cum potuisset vocibus solis abstinens, & logomachiam tunc vigentem dissimulans, quietè degere, & non modò sibi consulere euadẽdo vitæ discrimen, cui succubuit, sed etiam Ecclesiã non turbare, quod fecit duriùs accipiendo, quæ mitiùs

accipi poterant,& verè debebat ad tot malorũ declinationem. Idem fert iudicium Cambefisius de S.Ioann.Chrysost.prohibentem ludos fieri antè argenteam Eudoxiæ Statuam ; non refero verba formalia breuitatis amantissimus.

11 Videant hic Aduers. Laudatam à Cambefisio facilitatem SS.Basilii, & Gregorii Teologi in obsequendo Macedonianis, reprehensam verò ab eodem constantiam S.Martini Papæ resistentis edicto Constantis Imperatoris; Vel ergo benè, & laudabiliter reprehensa est S. Martini Papæ Constantia,& sic haud benè laudatur ad Aduers. Constãtia Papę Hormisdæ, & tanquam exemplar proponitur aliis Summis Pontificibus : vel immeritò, & perperam reprehensa est Constantia S.Martini; & ità deberet Opusculum Cambefisij pendere publico in loco simùl cùm alijs doctrinæ reprobę.Pariter à Cambefisio laudata est Facilitas SS. Basilij, & Gregorii Theologi in obsequendo Macedonianis; Vel ergò meritò laudata est huiusmodi Facilitas,& ità eadem Facilitas desideranda est in Hormisda,& alijs Summis Pontificibus; vel si Facilitas huiusmodi immeritò est laudata,reijci omninò, & reprobari debet Codex ille,& Opusculum Cambefisij.

12 Ad 2.Resp. Iterum Aduers. saltare extrà Chorum,nam quando iterum laudatur à Baronio Constantia Hormisdæ,laudatur ; *Cùm à Maioribus accepta Fides lęditur,aut in suspitionem adducitur, aut Traditio seruatur;aut illibata semper existens communio Catholica polluitur.* Nil horum locum

ha-

habet in casu nostro; extrà igitur Chorum saltant, & extrà casum loquũtur Aduers. cùm eiusmodi argumentum proponunt.

183 Ad 3. Resp. Quot, & quanta bona honestę, & Sanctæ Mulieres in omni temporum varietate attulerint Ecclesiæ Dei, infiniti propemodùm operis esset recensere; cursim quædã, dimissa eorũ plenitudine, cõmemorabo. Martha, & Maria viuentem Dominum hospitio excipere consueuerunt; laudata est Maria à Domino præ Zacchęo; quia pedes Domini lauit, capillis tersit, osculata est. Christus Dominus primos suæ Resurrectionis testes, Mulieres adhibuit, eisque Legationis munus ad Discipulos impertiuit. *Ite, dicite Discipulis & Petro.* Apollo Vir cæteroqui eloquens à Priscilla Fœmina fuit edoctus Act. cap. 18. Pulcheria Augusta Theodosij Imperatoris Soror, Marciani Vxor, quid non præstitit pro Fide Catholica defendenda? vt Concilium Ephesinum cogeretur, vt declararetur, Maternitatem Dei B. Virgini aptissimè conuenire, vt Marcianus Imperator ad comprimendos Hæreticos interesset, effecit, curauit summo Studio; ea propter S. Leo Papa luculentissima Epistola illam commendat, extollit. S. Catharina Senen. varijs Summorum Pontificum Legationibus functa, Pacem Ecclesię sæpiùs importauit, Sedi Apostolicæ opportunissimè obsecuta est; ex Reuelatione facta priùs S. Virgini Iulianę, deindè Sanctimoniali Iuuæ reclusæ Leodij in monte S. Martini institutum est Festum Corporis Christi, à Leodiensi Episcopo Roberto primùm, postmodum ab Vrbano VI. quo facto decisa est Con-

uersia diù agitata inter Catholicos de hoc Festo celebrando. Videsis Specul.Mag.exemplorum in Calce.Et vt vno verbo concludam; *Plus nobis profuit Maria, quam Eua nocuerit.* Pauciora ergò sunt omnino mala per accidens à Beguinis, & Sanctis Fæminis illata, quàm fuerint bona, & commoda ab ijsdem Sanctis Fæminis reportata.

14 Quàm strenuè, quàm fortiter fuerit olim, & hodiè defensa Catholica Fides à primis Ciuitatis, Regibus, Imperatoribus, Constantinis, Marcianis, Theodosijs, Ferdinandis, Philippis, Ludouicis, Carolis, passim occurret legentibus Generalia Cōcilia, vel Ecclesiasticas Historias.

15 Quòd adhibenda sit diligentia à Summis Pontificibus in petendo, non abnuo. An verò Summi Pontifices debeant esse omninò inexorabiles, & nullò modo flecti ad preces Principum iusta, & rationabilia petentium, præsertim pro sanctificando Dei nomine in Conceptione Immaculata Virginis Matris; Viri Sapientissimi iuxtà, ac prudentissimi erit, formam sumere ab exemplis præallegatis Anteriorum Pontificum Romanorum.

ARTICVLVS XVI.

An Hę Propositiones Purè, & nudè prolatę,

Pietas est fouenda, non supprimenda;

Deuotiò est accendenda, non extinguenda.

Sint dignę aliqua Censura, imò & Flammis:

1 VIdetur quòd sic. Primò quia vidētur hæ Propositiones prodiisse ex Officina Macchia-

decim Apostolis. Vbi ait S. Thomas. Semel quidem visus est decem, quando Thomas erat cùm eis, Augustinus dicit, quòd debet dicere duodecim; sed est corruptum vitio Scriptorum, non enim refert, quòd Iudas abierat, & nondum erat electus Matthias, quoniam consuetum est, quòd quando maior pars Collegii aliquid facit, dicitur, quòd totum Collegium id facit, vnde quia Dominus elegerat duodecim, ideò potest dici, quòd visus est duodecim, idest, toti Collegio Apostolorum, sed non est vis siuè dicatur duodecim, siuè vndecim.

9 Præterea in Re morali idem est totum, & maior pars, nam æquè mortaliter peccat, qui relinquit totum Officium in probabili sententia, & qui relinquit partem notabilem: Ecclesia æquè proponit adorandum totum aliquod Corpus alicuius Sãcti, & partem eius notabilem: Si ergo maior pars Populi Christiani acclamat Immaculatam Conceptionem B. Virginis, meritò potest dici, quòd totus, & omnis Populus Christianus pro illa sit.

10 Ad 1. Resp. Vtique scrutandas esse Scripturas, sed in ijs, de quibus Scripturæ non loquuntur, loco Scripturarum est sensus communis Populorum. Audi Augustinum Epist. 7 ad Marcellinum; neque enim vt videamus, quàm aliquid sit verum, Scripturarum auctoritas necessaria est, & non sensus ipse communis, vt quisquis contradixerit, demẽtissimus habeatur. Ad id, quod additur, Fidẽ Christi fore mutandam, si denuò in Mundum Christus veniret, vt Populis se conformaret; quis non videt, latam esse disparitatem inter materiam Fidei, &

eam,

eam,de qua est Sermo;nam hęc dubia est, & vtrinque Controuersa,& ideò in ea maior pars,aut etiã Populi consensus,sicut æquivalet toti, ità etiam præualet;At materia Fidei, immutabilis est,omninò,quia certa;in his autem,quæ certa sunt certitudine Fidei Diuinæ,non est attendendum,quid sentiant Populi.

11 Ad 2.& 3:Resp.Aliud esse loqui de Plebe, aliud de Populo,quia Populus non solum plebeios, & rudes Homines,sed etiam Sacerdotes,& Doctores complectitur:Quid ergo sentiat Populus,magni faciendum est in ijs,quę sunt Controuersi iuris, vt patet ex dictis;esto parum curandũ sit,quid Plebs, rudes,& imperiti Homines garriant.

ARTICVLVS XV.

An exaudiendę sint Preces Principum pro Mariana Pręseruatione.

1 Videtur quòd non.Primò quia,licèt admittamus,B.Virginem Conceptam esse sinè Peccato Originali,adhuc Summi Pontifices debẽt resistere,& non ità facilè petitionibus Regum acquiescere,concedendo Titulũ *Immaculatę*: patet exemplo Papæ Hormisdæ,qui, vt ait Baronius ad Ann.418.nunquam vel precibus,vel minis adduci potuit,vt Propositionem illam,*Vnus de Trinitate passus est*,quamuis veram, & Catholicam Monachis Scythis vsurpandam concederet, asserens, illã Propositionem nouã esse,neque illa indigere Ecclesiam;licèt enim obiectiuè idem sit,B.Virginem

esse Conceptam sinè Peccato Originali, & eius Conceptionem esse Immaculatam, differunt tamẽ in modo significandi, nam Propositio, quæ affirmat, vel negat, indicat sensum, vel opinionem priuatam proferentis; terminus verò complexus, præsertim verò Epithetum, seù attributum importat Principum, seù Vniuersitatum approbationem, seù consensum: Hinc est, vt licèt Dux Mantuæ sit Magnus Dux, Titulus tamen Magni Ducis non illi attribuitur, sed Duci Hetruriæ: similiter licèt Suarez sit Magnus Doctor, non tamen habet Titulum Magni, sed talis Titulus attribuitur Alberto; cùm enim termini, quibus exprimũtur Tituli, sint principia Sermonum, per eos denotatur communis consensus. Si ergo simpliciter, & absolutè diceretur, Conceptio Immaculata, videretur importari, esse communem Ecclesiæ sensum, quòd illa talis sit. Prætereà etiam dato, quòd nulla esset differentia inter illam Propositionem, & Titulum Immaculatæ, adhùc talis Titulus non esset concedendus, nam licèt idem sint; *Beata Virgo est Concepta sinè Peccato Originali*; è, *la B. Vergine è Concetta senza Peccato Originale*; tamen illam permisit Pius V. hanc prohibuit.

2 Secundò quia. Ex Baronio ad Ann. 418. & seqq. cùm repetitis precibus rogarent Hormisdam non solum Iustinianus Imperator, sed etiam totius Orientis Episc. in diuersis Synodis Congregati, vt Macedonium, & Euphemium sola Acatij schismatici, & Hæretici communione pollutos, restitueret; adduci nullo modo potuit Hormisda, vt Imperatori satisfaceret, qua de re ait Baronius loco cit. Exẽ-

plum

plum ab Hormisda posteris est traditum Pontificibus,quod acceptum ipse à maioribus reliquit integrè custoditum,non ob gratiam Imperatorum, aut Regum quantumlibet importunè petentium, non precibus quãtumlibet magnorum Antistitum vel ex Synodo ad id præstandum,vrgentium; non cuiusuis dignæ causæ prętextu,quo magnarum etiam Prouinciarum restitutio polliceatur,debere Romanos Pontifices vel minimum quid deflecti; *cùm à Maioribus accepta Fides lęditur,vel in suspitionem adducitur,vel traditio seruatur,aut illibata semper existens Communio Catholica polluitur.*

3 Tertiò quia:Dicitur Act.13. Iudæi autem concitauerunt mulieres Religiosas,& honestas, & primos Ciuitatis,vt excitarent persecutionẽ in Paulum,& Barnabam,vbi rectè Caietanus; *Arma Diaboli sępè Mulieres Religiosas,idest,Beguinas,& primos Ciuitatis,inter quos sæpè Aulici, & sub Specie Pietatis vsos esse Iudęos ad excitandas persecutiones in Ecclesiam.* Vt propterea maxima cura adhibenda sit à Principibus in precibus porrigendis;summa diligentia à Pontificibus in illis exaudiendis,

4 Sed Contrà est Dicendum. Preces Principum pro Immaculata esse exaudiendas,idest, posse licitè exaudiri;Dico,licitè exaudiri,quia,An expediat exaudiri, pendet à Summi Pontificis arbitratu.

5 Probatur primò quia; Refert Baronius ad Ann.447.num.22.quòd cùm Hispani,Franci, & alii omnes Boreales Populi offenderentur,ac pro-

indè periculum schismatis ortum esset, eo quòd Romana Ecclesia in Symbolo Niçæno non addidisset ea verba; *Filioque procedit*; quibus verbis Doctrina olim tradita à Magno Leone III. Episcopis Hyspaniarum ad discernendos Catholicos ab Hereticis, respui videbatur; placuit Benedicto VIII. Ann. Domini 1014. ad preces Henrici Imperatoris ea verba in Symbolo addere; & præcipuè; vt cùm illo additamento in Ecclesia caneretur. Coriolanus de Concil. General. fol. 101.

6 Secundò quia; Ioannes XXII. suam illam Opinionem de nimis tarda visione Dei concedenda Sanctis post Generalem Resurrectionem Mortuorum, quamuis fundatam in Auctoritatibus SS. PP. Bernardi, Tertulliani, Lactantii, Victorini, Prudentii, Iustini Martyris, Irenei, Origenis, Theodoreti, Oecumenii, Theophilati, Eutimii, & aliorum, quos refert Sixtus Senen. lib. 6. Biblioth. Ann. 345. nihilominus ad preces Caroli VII. Francorum Regis, Roberti Siciliæ Regis Ann. XVII. Pontificatus sui eam Sententiam reuocauit, vt patet ex quadam Epist. responsiua ad Carolum Regem Franciæ, quam refert Villanus lib. 7. Vvadingus in sua Chronica, tom. 3. fol. 400.

7 Tertiò. Paulus V. ad preces Philippi III. Hyspaniarum, & Indiarum Regis, Religiosissimi Principis, Decretum edidit Ann. Domini 1617. die 31. Augusti. Nè Contraria, & Affirmatiua Sententia Peccati Origin. in. B. Virg. amplius proponeretur in publicis Actibus, nec amplius doceretur in Cathedra; nec prædicaretur è suggestu; nec disputaretur in Thesibus.

Quar

8 Quartò Gregorius XV. ad preces Philippi IV. qui Philippo III. Religiosissimo Parenti non solùm in Regno, sed & in Pietate ergà Marianã Conceptionem Immaculatam fœlicissimè successit, Decretum edidit Anno Domini 1622. die 2. Iunij, quo eadem Contraria, & Affirmatiua Sententia reiecta est à priuatis etiam colloquijs; & scriptis; & tàm lõgè abest, vt preces à Pientissimo Rege oblatæ Sanctissimo Pontifici molestiam vllam creauerint, quin potius, vt idem Pontifex fatetur in Epist. ad eundẽ Regem, ingenti gaudio Pontificium animum cumulauerint; Audi verba formalia: Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nuperę litteræ Maiestatis tuæ de Immaculata Deiparæ Conceptione disserentes: O curam Catholico Regę dignam; & Christi Vicario gratissimam.

9 Pro coronide sit Praxis Romanæ Ecclesiæ exquirentis omninò ad Sanctorum Canonizationem prӕter Virtutes, & Miracula Sancti Canonizandi, preces, & instantias Principum Christianorum; Recentissimum habemus exemplum de Canonizatione S. Thomæ Villanouani, quę nomine Magni Philippi IV. Hyspaniarum, & Indiarum Regis, ab Eminen. Card. Columna petita est instanter, instantius instantissimè.

10 Ad 1. Resp. Quòd afferre exemplum Hormisdæ, est omninò saltare extrà Chorum, nã Hormisda illã propositionem non admisit, quia noua; Titulus verò Immaculatæ à tãto iã tempore est attributus Conceptioni Marianæ, vt notum est ex Bullis Pontificijs; & quia Pontificum auctoritate

Titu-

Titulus ille inductus est, publica Summorum Principum Auctoritate fuisse inductum, non est dubitandum. Deindè Hormisdæ constantiam laudatam ab Aduersarijs, inuenio reprehensam ad titulum nimiæ rigiditatis in S. Martino Papa, & S. Ioan. Chrysostomo à Francisco Cambefisio Illustri Doctore Ordin. Domin. in Hist. Monoth. §. 14. Audi verba formalia. Fuerat à Constante Imperatore publicatum solemne edictum, cui nomen Typo, quo præscribebat, dimittendas voces vnius, aut duarum operationum in Christo: hoc rigidius iusto accipiens S. Martinus Auctorem Typi Paulum Constantinopolitanum exauctorauit, nil veritus iram Imperatoris, qui Typum ad bonum pacis euulgandum edixerat, atque comprobarat; Potuisset ergo Sanct. Martinus Typum benignè interpretari, tanquam indicens nouum duntaxat silentium, non autē professionem vnius, aut geminæ voluntatis, & operationis; qua ratione S. Basilius, & Gregorius Theologus, (ut refert Ioann. Constantinopolit. Epist. ad Constantinum Papam, nu. 43.) Indulserunt Macedonianis, vt Spiritum Sanctum non dicerēt Deū in actu signato, dummodò reipsa non excluderent à Diuinitate: nullam talem Indulgentiam circa Typum, & Typi defensores admittere volens S. Martinus, adunauit in se eam molem ærumnarum, qua oppressus est, cum potuisset vocibus solis abstinens, & logomachiam tunc vigentem dissimulans, quietè degere, & non modò sibi consulere euadēdo vitæ discrimen, cui succubuit, sed etiam Ecclesiā non turbare, quod fecit duriùs accipiendo, quæ mitiùs

atci-

accipi poterant,& verè debebat ad tot malorū declinationem. Idem fert iudicium Cambefisius de S.Ioann.Chrysost.prohibentem ludos fieri antè argenteam Eudoxiæ Statuam ; non refero verba formalia breuitatis amantissimus.

11 Videant hic Aduers. Laudatam à Cambefisio facilitatem SS.Basilii, & Gregorii Teologi in obsequendo Macedonianis, reprehensam verò ab eodem constantiam S.Martini Papæ resistentis edicto Constantis Imperatoris; Vel ergo benè , & laudabiliter reprehensa est S. Martini Papæ Constantia,& sic haud benè laudatur ad Aduers. Constātia Papę Hormisdæ , & tanquam exemplar proponitur aliis Summis Pontificibus : vel immeritò, & perperam reprehensa est Constantia S.Martini; & ità deberet Opusculum Cambefisij pendere publico in loco simùl cùm alijs doctrinæ reprobę.Pariter à Cambefisio laudata est Facilitas SS. Basilij, & Gregorii Theologi in obsequendo Macedonianis;Vel ergò meritò laudata est huiusmodi Facilitas,& ità eadem Facilitas desideranda est in Hormisda,& alijs Summis Pontificibus; vel si Facilitas huiusmodi immeritò est laudata,reijci omninò, & reprobari debet Codex ille,& Opusculum Cambefisij.

12 Ad 2.Resp. Iterum Aduers. saltare extrà Chorum,nam quando iterum laudatur à Baronio Constantia Hormisdæ,laudatur ; *Cùm à Maioribus accepta Fides læditur,aut in suspitionem adducitur, aut Traditio seruatur;aut illibata semper existens communio Catholica polluitur.* Nil horum locum

ha-

uersia diù agitata inter Catholicos de hoc Festo celebrando. Videsis Specul.Mag.exemplorum in Calce.Et vt vno verbo concludam; *Plus nobis profuit Maria quam Eua nocuerit.* Pauciora ergò sunt omnino mala per accidens à Beguinis, & Sanctis Fæminis illata, quàm fuerint bona,& commoda ab ijsdem Sanctis Fæminis reportata.

14 Quàm strenuè, quàm fortiter fuerit olim, & hodiè defensa Catholica Fides à primis Ciuitatis,Regibus,Imperatoribus, Constantinis, Marcianis,Theodosijs,Ferdinandis,Philippis, Ludouicis, Carolis,passim occurret legentibus Generalia Cõcilia,vel Ecclesiasticas Historias.

15 Quòd adhibenda sit diligentia à Summis Pontificibus in petendo,non abnuo.An verò Summi Pontifices debeant esse omninò inexorabiles, & nullò modo flecti ad preces Principum iusta, & rationabilia petentium,præsertim pro sanctificando Dei nomine in Conceptione Immaculata Virginis Matris; Viri Sapientissimi iuxtà, ac prudentissimi erit,formam sumere ab exemplis præallegatis Anteriorum Pontificum Romanorum.

ARTICVLVS XVI.

An Hę Propositiones Purè,& nudè prolatę,

Pietas est fouenda,non supprimenda;

Deuotiò est accendenda,non extinguenda.

Sint dignę aliqua Censura,imò & Flammis:

1 Videtur quòd sic. Primò quia videtur hæ Propositiones prodiisse ex Officina Macchia-

chiauellistica, lib. enim 1. in Liuium, capit. 12. hæc habet Macchiauellus. *Denono i Principi d'vna Republica, ò d'vn Regno i fondamenti della Religione, che loro tengono, mantenere, è debbono tutte le cose, che nascono in fauor di quella anc or che li giudicas sero false fauorirle, & accrescerle*. Audi impiam, & sacrilegam de Pietate Sententiam, mille ignibus, mille carceribus expiandam.

2 Secundò quia: non omnis Pietas est fouenda, non omnis deuotio augenda, sed illa, quæ genuina, & legitima est; nō spuria, nō supofititia, sed quę Ecclesia Catholica regulatur, Summorum Pontificum Decretis dirigitur, & vt vno verbo dicam, quæ rationabilis est; vt scitè monuit Apostolus ad Roman. 12. Rationabile obsequium vestrum, quem locum disertissimè explicans S. Petrus Chrysologus, sic ait. *Quantùm placet obsequium, quod ratione subnixum; tantùm, quod rationem non habet, exacerbat.*

3 Tertiò quia: Notum est nascentem Christi Ecclesiam, & Fidem ab Apostolis prædicatam, in Summum discrimen Act. 19. adductam esse à Iudæis ad conflandam inuidiam Apostolis, ad captandam Populorum gloriam, & famam, ad exaturandã Pseudo Apostolorum auaritiam, quorum Deus vẽter, Religio culina, gula triumphus; perspectumque est, quod consultissimè Piissimus Pontifex Pius V. deplorauit his verbis. Præsertim quoniam, vt experimento didicimus ipsorum Concionatorum, qui ad Quæstiones huiusmodi proponendas faciliùs erumpere solent, maior numerus materiæ difficul-

tatem prorſus ignorantes,neque intelligunt, quæ loquuntur,aut de quibus affirmant, Fidelium mentes indiſcretæ deuotionis obtentu, vel potiùs loquacitatis,& oſtẽtationis affectu ad tumultus,& ſimulates concitant,quas tumultuantes, & diſſidentes compeſcere,ſedareque potiùs oportebat.

4 Sed Contrà eſt dicendum. Allatæ Propoſitiones non ſolùm non ſunt dignæ aliqua Cenſura, ſed potius laude, & commendatione ſic abſolutè, purè,& nudè prolatæ.

5 Probatur quia. Nomine Pietatis, & Deuotionis nudè,& purè prolatę non venit Pietas,&Deuotio ficta,aut ſuppoſititia,ſed vera,legitima,& rationabilis,quam eſſe dignam laude, & commendatione non negant Aduerſ.ſed vltrò admittunt,ergo. Antecedens probaturPrimò Inductione,quia quãdo dicitur,*An Deus ſit colendus*,iſta propoſitio nudè,& purè prolata intelligitur de Deo vero, nõ falſo,aut ſuppoſititio.Quãdo dicitur, *An Parentes ſint honorandi*,iſta Propoſitio nudè,& purè prolata, nõ intelligitur de Parentibus fictitiis,ſed veris. Quando dicitur,*An virtus ſit amplectenda*; non intelligitur de Virtute falſa,& ſuppoſititia,ſed vera , & ſic de cæteris ſimilibus,ergo quando dicitur,*An Pietas ſit fouenda*,debet intelligi de Pietate vera, nõ ſuppoſititia,aut falſa;quando dicitur, *An deuotio ſit accendenda*,debet iſta Propoſitio nudè, & purè prolata,intelligi de Deuotione vera,non falſa,aut ſuppoſititia.

6 Secundò idem Anteced.probatur quia: Propoſitiones nudè,& purè prolatæ non ſunt expreſsè

de Pietate vera, aut falsa, de Deuotione vera, aut falsa, sed præscindunt ab vtraque, & indifferentes sunt tàm ad veram, quàm ad falsam Pietatem; & Deuotionem, sed ex Iuristis, quorum infinitum numerum refert Barbosa Axiom. 222. Verba indifferentia, & dubia interpretanda sunt verè, & non fictè, & per eosdẽ Iuristas; verba, quæ habent variam significationem, debent intelligi in eo significatu, qui est aptior, *l. quoties idem sermo. & de reg. iuris, Roman. cons. 350. in casu 22. 23. extendit in casu magis verisimili, refert Tuschus t. 8. lit. V. concl. 98.* & per eundem Barbosam vbi suprà cùm aliis Doctoribus propemodum infinitis: *verba generalia, & indifferentia* (vt sunt verba Propositionum adductarum) *restringuntur ad vitandum absurdum, l. scire oportet, §. aliud ff. de excusationibus Tutorum l. 1. ff. nè quid in loco publico, Castrensis & Cardin. Tuschus* ibidem. Ergo verba illa Generalia intelligi non possunt de Pietate, & Deuotione falsa, quia absurdum esset, Pietatem falsam esse promouendam, Deuotionem falsam esse accendendam.

7 Tertiò idem Anteced. probatur ex Doctrina D. Thomæ, quam habet 2. 2. q. 60. art. 4. verba dubia; qualia sunt earum Propositionum Purè, & nudè acceptarum, in meliorem partem sunt interpretanda, maximè quia, vt ibidem art. 2. docet. *Caritas non cogitat malum ad Rom.* 14. ergo ex D. Thoma, & ex regula Caritatis illę Propositiones in meliorẽ partem sunt accipiendæ, & interpretandæ, videlicèt de Pietate vera, & Deuotione legitima, quandò nudè, & purè pronunciantur, ergò illæ propositiones

nes

nes nudè, & purè prolatæ non ſunt dignæ aliqua Cenſura, aut Flammis, ſed laude, & commendatione.

8 Ad 1. Reſp. Latum diſcrimen eſſe inter Religionem, & Pietatem, quam à Principibus fouendam eſſe hortatus eſt olim Macchiauellus loco cit. & Religionem, & Pietatem purè, & nudè aſſertam in aſſignatis ſuprà Propoſitionibus, quia illa falſa eſt, vt indicant illa verba. *Debbono tutte le coſe, che naſcono in fauor di quella, benche le ſtimaſſe falſe, fauorirle, & accreſcerle.* Ideòque meritò Macchiauelliſtica verba hæc digna ſunt Flammis, carceribus. At Pietas, Deuotio in eiuſmodi Propoſitionibus purè, & nudè prolatis, aſſerta, non eſt Pietas, & Deuotio ficta, ſed vera; ideòque hauſta non ſunt ex Macchiauelliſtica Officina, quam neſcio, qua ratione potuerint adire Aduerſ. quando ex Hominum probatę fidei teſtificatione accepi à Sacra Congr. Romana, ſiuè quæ dicitur Indicis Librorum, ſiuè quę eſt Generalis Inquiſitionis, nulli vnquam concedi facultatem, legendi Macchiauelli Opera, ità vt etiam quando alicui datur facultas legendi Libros Hęreticorum, & alios à Iure prohibitos, ſolemnis fiat exceptio de Macchiauelli Libris.

9 Ad 2. Reſp. Rationabile vtique eſſe debere obſequium noſtrũ, & illud eſſe rationabile, ex quo non oriuntur in Populo Chriſtiano diſſenſiones, iurgia, & lites. Verum cuius Pietatis prętextu naſcantur lites huiuſmodi, & diſſenſiones, quis poterit meliùs teſtificari, quàm Summus Eccleſiæ Pontifex, & Paſtor, cuius eſt proprium, proprias oues

agnoſ-

agnoſcere; Atqui Summus Pontifex primò Paulus V. tùm Gregorius XV. manifeſtè in ſuis Bullis teſtantur, lites, & diſſenſiones huiuſmodi naſci ex aſſertione dicentium, B. Virginem Conceptam eſſe in Peccato Originali; Non ergò Sententiæ Negatiuæ Pietas reprehenſibilis eſt, quaſi non rationabilis. Et quòd ſpectat ad Auctoritatem S. Petri Chryſologi; cùm euoluiſſem ſermones eius impreſſos Lugd. Anni 1623. adducta eius verba inuenire non potui; & quia valdè groſſa ſunt, & vix grammaticalia, à Phraſi, & elocutione elegantiſſima Chryſologi longè abſunt; præter quam quod ea verba Negatiuam ſententiam Peccati Originalis in B. Virgine nullo modo premunt, aut pulſant.

10 Ad 3. Reſp. Quòd cũ ſolius Dei ſit, inacceſſi humani Pectoris arcana ſcrutari, nõ video, quomodo Adu. introſpicere potuerint arcana cordis Defẽdẽtiũ Negatiuã, vt ea propter illos coarguãt ſub perſona Iudæorũ, quaſi Negatiuã defendãt ad ipſis cõflãdã Inuidiã, ad ſibi vanagloriã cõparãdã, & nõ potius ad propugnãdã Dei gloriã, & Vir. Matris honorẽ aſſerẽdo eius Puriſ. Conc? Et quidẽ ſi quicquã cõficeret hoc Argum. planè miſerrimũ, nulla vnquam Cõtrouerſia poſſet agitari in Eccleſ. Dei, nã in prõptu haberẽt Aſſertores vnius partis, quod obijcerent Adu. nimirũ, ad cõflandã illis Inuidiã, & ſibi Vanãgloriã cõparãdã, oppoſitã partẽ ſuſtineri: Cõmunia prætermittamus amabò, ſi volumus ſeriò, & ſolidè pro Dei gloria, & Sãtiſſimæ Matris eius Honore pugnare. Pij V. verba cæteroqui Sãctiſſima ad rem noſtrã nõ faciũt, quia directa ad Cõcionatores, nõ ad Scholaſticos.

TERTIA

TERTIA PARS

TRACTATVS THEOLOGICI.

DE IMMACVLATA B. MARIAE VIRGINIS CONCEPTIONE.

Vulgata Quatuor Argumenta Contraria Diluuntur.

Tertia Huius Tractatus Theologici Pars complectitur Articulos VII. Quorum

In I. *Quęritur. An D. Augustinus, Vniuersalē illam Pauli;* Omnes in Adam Peccauerunt, *intellexerit in sensu fauorabili* Marianę P*ręseruationi.*

In II. *An D. Thomas Aquinas Vniuersalem illam Pauli intellexerit pro Mariana* P*ręseruatione.*

In III. *An D. Anselmus Vniuersalem illam* P*auli intellexerit in sensu fauorabili* Marianę P*ręseruationi.*

In IV. A*n* PP. *Conciliy Tridentini* V*niuersalē illam* P*auli intellexerint in sensu fauorabili Marianę* P*ręseruationi.*

In V. A*n* P*ręseruatio B.* V*irginis à* P*eccato Originali, benè cohęreat cùm eius Redemptione.*

In VI. A*n* P*ręseruatio B.* V*irginis à* P*eccato Originali benè cohęreat cùm eius Baptismo.*

In VII. A*n* P*ręseruatio B.* V*irginis à* P*eccato Originali, benè cohęreat cùm eius Morte Corporali.*

AR-

ARTICVLVS I.

An D. Augustinus Vniuersalem *illam* Pauli; Omnes in Adam Peccauerunt; *intellexerit in sensu fauorabili* Marianæ Præ*seruationi.*

1 Videtur quòd non. Primò quia D. Augustinus non vno in loco suæ Doctrinæ, vbi agit de Peccato Originali contrà Pelagianos dicit; Solum Christum non contraxisse Peccatum Originale, cæteros omnes contraxisse, ergo ab illa Vniuersali Pauli, non excepit B. Virginē; addito præsertim, quòd particula *solus*, cùm sit exclusiua, & exceptiua, altè retinendum est, quod docent Iuristæ, *Exceptio firmat regulam in reliquis non exceptis.* Verba D. Augustini habes in terminis in Libro de Perfect. Iustitiæ, cap. 7. vbi habet; *Quisquis fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos Homines excepto vno Mediatore Dei, &* Hominum, *quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, cōtrarius est Diuinę sententię, vbi ait Apostolus, Peccatum trānsijt in omnes.* Idem docet tractat. super Ioann. ad illud. Ecce Agnus Dei, lib. 2. de Peccat. Mer. cap. 20. & in Ench. c. 48. lib. 4. con. duas Epist. Pelag. c. 4. lib. 1. Hypog. & lib. 2. in fine ait. *Nō enim est distinctio, omnes peccauerunt, & egent gloria Dei; dicendo,* omnes, *nullum excipit, quinimò totum declarat Genus Humanum, peccauerunt enim omnes cùm ex vno peccatore omnes nascimur peccatores.*

2 Secūdò quia: D. Aug. li. 6. cōt. Iul. c. 12. reprehēdit Pelagianos, eò quod per *Tò, omnes*, intelligerent

rent plures,seù multos,ait enim, *Vos autem dum non omnes sed multos siuè per Adam condemnatos esse,siuè per Christum liberari vultis, horrenda peruersitate Christianæ Religioni estis infensi*,ergò à termino,*omnes*,D.Augustinus non excludit B. Virginem,aut aliquem alium præter Christum, ergo nō potest intelligere locum Pauli pro Mariana Præseruatione.

3 Tertiò quia D.Augustinus lib.6. contrà Iulianum,cap.3.ait. *Si quis diceret; nullum Animal mouere,nisi mandibulam inferiorē, inuento Crocodillo, qui mouet mandibulam Superiorem,superaretur,& si quis diceret,nullum animal viuere in igne, demonstrato,quod de Salamandra perhibetur,absque ambiguitate commoueretur,&c.* Sic similiter conuinceretur Apostolus dicens,omnes in Adam peccasse,vel nullum erui,nisi perChristum,si aliquis esset sinè peccato,ergo D.Augustinus nō intelligit illud Apostoli,Omnes in Adam peccauerunt,in sensu fauorabili Marianæ Pręseruationi, quasi B.Virgo cōprehensa non sit in illa Vniuersali.

4 Sed Contrà est Dicendum. D.Augustinum intellexisse Vniuersalem illam Apostoli pro Mariana Præseruatione.

5 Probatur Primò quia D.Augustinus non intelligit *Tò*, *omnes*,in rigore Mathematico in generali,& Vniuersali significatu,sed sumit, & intelligit,*omnes*,idest,multos;Audi illum loquentem,lib. 6.contrà Iulianum,c. 12. Quod autem dictum est, in Semine tuo benedicentur omnes Gentes,& Patrem multarum Gentium constitui Te,easdem omnes,

nes,multas;& easdem multas,omnes esse monstratum est;ità etiam cùm dictum est,Per vnum Hominem in omnes transisse peccatum,& posteà per vnius obedientiam Peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi , qui omnes ; si ergò D. Augustinus per omnes,intelligit multos,benè stat, Peccatũ transire in omnes,idest,multos, & non transisse in aliquos,idest,in Christum, & B. Virginem,ergo D. Augustinus intelligit Vniuersalem illam Pauli in sensu fauorabili B. Virg. Præseruationi.

8 Prætereà D. Augustinus ibidem alio modo explicat,& intelligit peccatũ intrasse in omnes,ità nimirum,vt sensus sit,in nullum transisse peccatũ, nisi per vnum Hominem , sicuti nullus iustificatur, nisi per vnum Christum,& in hoc sensu omnes iustificantur in Christo. Audi verba formalia. Per „ vnius iustificationem in omnes homines ad iusti„ ficationem Vitæ;& rursus dictum est ; per vnius „ obedientiam iusti constituentur multi , non ali„ quibus exceptis,sed eosdem multos,omnes opor„ tet intelligi,non quia omnes Homines iustifican„ tur in Christo,sed quia omnes, qui iustificantur, „ non aliter possunt iustificari,quàm in Christo ; si„ cuti possumus dicere,in aliquam Domum per v„ nam ianuam intrare omnes,non quia omnesHo„ mines intrent in eandem Domum , sed quia ne„ mo intrat,nisi per illam ; omnes ergo ad mortem „ per Adam,omnes ad Vitam per Christum , quia „ sicut in Adam omnes moriuntur , ità & in Chri„ sto omnes viuificabuntur,idest,in prima Origine „ Generis Humani,nemo ad mortem,nisi per Adã,

&

„& nemo per Adam nisi ad mortem, & nemo ad
„vitam, nisi per Christum, & nemo ad Christum,
„nisi ad Vitam. Quo loci D. Augustinus ità intelligit, per vnum Hominē, idest, per Adam transisse Peccatum in omnes, sicut intelligit per vnum Hominem, idest, Christum, Vitam, & iustificationem transisse in omnes; At ità iustificatio transit per Christum in omnes, vt tamen adhùc aliqui sint, qui non iustificentur, ergò ità peccatum per Adā transit in omnes, vt tamen aliqui sint, qui non peccent in Adam, idest, Peccato Originali, Christus, nimirū, B. Virgo, & prima omnium Mater Eua. Deindè hęc eadem explicatio, & intelligentia textus Apostoli confirmatur, quia eodem modo, & in eodem sensu D. Augustinus intelligit quædam alia Sacræ Scripturæ loca; Nam ità intelligit illud. Ioann. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me;
„ait enim Lib. de Prædest. SS. cap. 8. Sicut integrè
„loquimur, cùm de aliquo litterarum Magistro, qui
„in Ciuitate solus est, dicimus, Omnes iste hìc lit-
„teras docet, non quia omnes discant, sed quia ne-
„mo nisi ab isto discit, quicunque ibi litteras dis-
„cit; ità rectè dicimus, Omnes docet venire ad
„Christum, non quia omnes veniunt, sed quia ne-
„mo aliter venit. Et ibidem. Quid est; Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me; Nisi nullus est, qui audiat, & discat à Patre, & nō veniat ad me; eodem modo ibidem explicat illud Isaiæ 54. & erunt omnes docibiles Dei. Et illud 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes Homines saluos fieri. In Enchir. cap. 99.

9 Probatur Secundò Principaliter. Quia D. Augustinus plura Scripturæ loca Generalia,& vniuersaliter loquentia intelligit, & explicat secundũ distributionem accõmodam,quæ aliquam admittit limitationem,& exemptionem.Ità illud Leuit.12. Decimatis omne olus,*non omne prorsus,quod esset in Mundo,sed omne olus,quod habebant.* Et illud ad Corinth.10.Ego omnibus per omnia placeo.Nunquid enim,ait S.Augustinus,qui hoc dixit, placebat etiam tàm multis persecutoribus suis, sed placebat omni Generi Hominum, quod Christi congregat Ecclesia,sicut iam intùs positis,vel introducendis in eam;ergo etiam locum hunc, & Vniuersalem illam Pauli intelligit secundum distributionem accõmodam,& cùm aliqua limitationé, & exceptione B.Virginis ab illa.

10 Ad Primum Resp.Quòd Axioma illud Legale;*Exceptio firmat Regulam in reliquis non exceptis,seu exceptuatis*. Admittit triplicem limitationem.Prima est,quòd ità firmet Regulam, vt tamen non faciat in ea comprehendere, quæ ex alio capite non comprehenderentur,vndè siquis legaret Vxori Vsumfructum omnium rerum,quæ sunt Domi excepto argento, non propterea diceretur, legasse frumentum,quod non est exceptuatũ, quia ex alio capite excipitur,nimirum quia venale, & quæ sunt venalia,nõ videntur esse Domi.Ita.Barth. ad lit.13.ff.l.32.vxori.Roman.cons.82.numer. 3.& cons.447 1.verum refragatur. Qua data Doctrina, & limitatione, exceptio facta de Christo quò ad Immunitatem ab Originali non firmat regulam de

illo

illo contrahendo in B. Virgine, quia hæc ex alio capite, & ex vi Priuilegii, ac specialis gratiæ venit exceptuanda; Christus verò ex vi naturalis suæ generationis ímunis est ab Originali. Et in hoc sensu intelligenda, & explicanda sunt Augustini loca, quibus dicitur, Christus solus non contraxisse Originale, cæteros omnes contraxisse, quia solus ipse ex vi naturalis suæ generationis non contraxit Originale; cæteri omnes contraxerunt ex vi naturalis generationis, nisi in aliquo, seù pro aliquo afferatur Priuilegium, vt affertur de B. Virgine, quia Mater Dei est. Secunda limitatio est; exceptio firmat Regulã
„ in reliquis non exceptuatis, quando est sermo de
„ dissimilibus, non de similibus. ita Glossa, Bartholus, & Iason in l. ob æs, C. de prædiis Min. Glos. in l. illud, vbi Baldus numer. 4. C. de Sacrosanct. Eccles. Barthol. in l. serui nomine, ff. de Vsucap. & in l. nullus si constante num. 42. & ibi Iason num 84. cum seqq. ff. sol. Matr. Baldus in l. nullus in fin. C. ad leg.
„ Iuliam Maiestatem, vbi ait. Quòd excludit dissimi
„ lia, non similia. At casus noster est de Similibus, non de Dissimilibus, Mater enim, & Filius debent in omnibus, præsertim in Gratia, Sanctitate, & moribus assimilari, ergo ex eo, quòd Christus dicatur solus immunis ab Originali, non debet à tali immunitate Mater excludi. Minor probatur. Et quidem primò ex eodem D. Augustino Serm. 20. de Natiu.
„ Dom. ad Fratres de Eremo, vbi ait. Sicut in Cęlo
„ qualis Pater, talis Filius, sic & in terra qualis Ma-
„ ter, talis est secundum carnem Filius. Secundò quia ait S. Thomas de Villanoua Serm. 3. de Natiu.

„ B.V. Fuit enim Mater Filij in omnibus adumbra-
„ ta Imago. Tertiò quia ait S.Isidorus Archiepisco.
„ Thessalonic.Serm.1.de Nat. Nullius autem Cri-
minis labe nemo similior Christo, quàm B.Virgo,
„ oportebat enim plus omnibus assimilari Filio Ma-
trem; At valdè fuisset dissimilis Christo B Virgo, si
contraxisset Peccatum Originale, quod ex D.Dio-
nisió Areopagita 2.de Eccl.Hier.definitur Habitus
dissimilitudinis Hominis ad Deum.

11 Dices. Si propter istam similitudinem, quæ debet esse inter Matrem, & Filium, ponenda esset Immunitas ab Originali in B.Virg. pariter esset dicendum, quòd esset Concepta de Spiritu Sancto, sicut dicitur de Filio. At hoc est absurdum, ergo.

12 Resp.neg. sequelam mai. Quia similitudo attenditur penès ea, quæ sunt specifica, & communia, vt est Peccatum Originale, quod dicitur, Peccatum Naturale; Sed non attencitur penès ea, quæ sunt indiuidua, & personalia, vt esse Conceptum de Spiritu Sancto, esse Deum, esse Crucifixum, & huiusmodi. Legesis Epist.S.Petri Cellen.in qua Nicolaus Monachus S.Albani ad illa verba, Surge Domine in requiem tuam. hoc Argum. soluit. Hinc benè notat Caiet.in Opusc.lib.de Spasmo B.Virg. Quòd B.Virgo credi debet per omnia similis Filio, quantum fas est.

13 Tertia limitatio est. Axioma illud valere, quando non est verisimile, quòd alij quoque exceptuentur; secus si verisimile sit, alios quoque fore exceptuandos. Roman.consl.461.Io.de Ant. consil. 131.& 119. At verisimile esse, B.Virginem fore excep-

ceptuandam tanta Auctoritatum,& Rationum cõtextatione probatur,vt neque Aduerſ.audeant inficiari,ergo.

14 Ad 2.Reſp.Dupliciter in phraſi, & locutione D.Auguſtini diſputantis contrà Pelagianos per *Tò omnes* intelligi Plures, ſeù Multos. Primò quidem modò mox explicato ſuprà. Secundò ità
„ vt ſenſus ſit,Omnes peccauerunt,Peccatum tran-
„ ſijt in omnes.Quaſi peccatum in aliquos tranſierit,in aliquos non,& ſecundum hunc ſenſum aſſerebant Pelagiani,Peccatum Originale tranſiſſe in multos,ſeù aliquos,ideſt,filios infidelium;non tranſiſſe in alios,ideſt,filios Chriſtianorũ,qui cùm nõ haberent Originale , quia illis remiſſum per Baptiſmum,non poterant illud in Filios trãsfundere,quia nemo dat,quod non habet; ità pariter diſcurrebãt conſequenter Pelagiani,aliquos iuſtificari per Chriſtum,aliquos verò nõ,ſed habere aliud remediũ in lege conſcripta,in Natura;in hoc ſecundo ſenſu negat D.Auguſtinus,per omnes,intelligi plures, ſeù multos,quaſi aliqui ſint,qui ſaluentur, & non per Chriſtum, vt volebant Pelagiani , qui propterea euertebant Gratiam Chriſti,& tollebant indigentiam Redemptionis.

15 Ad 3.Reſp.Quòd ſi quis diceret , Crocodillum non ex vi naturæ, ſed ex Priuilegio aliquo mouere mandibulam ſuperiorem, & Salamandrã non ex vi naturę, ſed ex aliquo Priuilegio in igne viuere,non ſuperaretur is,qui diceret,nullum Animal mouere,niſi mandibulam inferiorem, & nullũ Animal viuere in Igne, quia generalis illa locutio

verificaretur quantum est ex vi naturæ,præſcindē-do à Priuilegio ſpeciali. Itā quia dicente Apoſto-lo, *Peccatum tranſijt in omnes*; nos defendimus in generali illa locutione de contrahendo Peccato Originali ex vi naturæ,non includi B.Virginē vi ſpecialis Priuilegij, ideò non ſuperatur Apoſtolus, & cùm Apoſtolo dicentes, *Omnes contrahunt Peccatū Originale. Peccatum tranſijt in omnes.*

ARTICVLVS II.

An S. Thomas Aquinas Vniuerſalem illam Pauli intellexerit in ſenſu fauorabili Marianæ Præſeruationi.

1 VIdetur quòd non. Primò quia D. Thomas communiter adducitur tanquam Anteſignanus,& præcipuus Patronus Sententiæ Contrariæ,ergo non poteſt intelligere Vniuerſalem illam Pauli,quæ eſt eius ſententiæ prima Baſis,& fundamentum, in ſenſu fauorabili Marianæ Præſeruationi.

2 Secundò quia. Si D. Thomas intelligeret Vniuerſalem illam Pauli pro Mariana Præſeruatione,maximè quia 1.2. quæſ.81.art.3. Peccatum trāſiſſe in omnes,intelligit de Peccato vel in actu, vel in debito,ſeù reatu; At ſi iſta diſtinctio ſubſiſteret,facilè potuiſſent Pelagiani, ſe expedire ab Argumento D. Auguſtini illos perſtringentis, quòd omnes contraherent Originale,etiam Filij Chriſtianorum;potuiſſent enim reſpondere, Omnes cōtrahere vel in Actu,vel in debito,ſeù reatu,ergo.

Ter-

3 Tertiò quia: D. Thomas Com. in Pſ. 13. o bi ter explicans illa verba, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*; ait. Vnum, ideſt, Chriſtum, quia ipſe ſolus nec peccatum contractũ habuit, nec commiſſum; B. autem Virgo habuit peccatum contractum. Idem docet explic. in Pſ. 50. ad illa verba, *Ecce enim in iniquitatibus, &c.* Sed particula, *Solus*, ex eodem D. Thoma 1. part. quæſ. 31. art. 3. appoſita ſubiecto, omnia ab illo realiter diſtincta excludit à participatione prædicati, ergo cùm ſolus Chriſtus dicatur à D. Thoma immunis ab originali, non poteſt B. Virgo participare illam Immunitatem, & conſequenter Vniuerſalem Pauli non intellexit S. Thomas pro Mariana Præſeruatione.

4 Sed Contrà eſt Dicendum. D. Thomam intellexiſſe Vniuerſalem illam Pauli in ſenſu fauorabili Marianæ Præſeruationi.

5 Probatur Primò quia: D. Thomas in Com. Epiſt. D. Pauli præſertim ad illud 5. ad Rom. cùm expoſuiſſet cùm Apoſtolo, Peccatum Originale generaliter traduci ab Adam in omnes poſteros, ponit duplicem exceptionem; vnam in Chriſto, quem ideò dicit, Conceptum ſine originali, quia fuerat conceptus ex ſola Fæmina non concurrente actiua virtute ſeminis virilis: alteram in ijs, qui conciperẽtur caſu, quo Eua peccante, Adam non peccaſſet, quos ideò dicit, Concipiendos ſinè Originali, quia conciperentur concurrente virtute actiua ſeminis virilis non vitiata, ſeù infecta per Originale Peccatum; ergo iam D. Thomas non intelligit Vniuerſalem illam Pauli in rigore Mathematico, & ſinè vlla

prorſus exceptione;ſed cùm aliqua exceptione, ergo non præcludit aditum excipiendi B. Virginem ab illa Regula generali vi Specialis Priuilegij, addito præſertim, quòd D. Thomas 3.part.quæſ.27 art.1.ad 2.reſpondens ad illud Auguſtini Epiſt. ad Dard. Templum Dei renatorum eſt, nemo autem renaſcitur, niſi priùs naſcatur, ait: *Auguſtinus loquitur ſecundum legem communem, ſecundum quam per Sacramenta non regenerantur, niſi priùs nati, ſed Deus huic legi Sacramentorum potentiam ſuam non alligauit; quin aliquibus gratiam ſuam conferre poſſit, antequam naſcantur ex vtero.*

16 Probatur Secundò quia: D.Thomas 1.2.q. 81.art.3. obiter explicans eadem Apoſtoli verba ad Rom.5.intelligit illa cũ diſtinctione, vult enim, quòd cùm Apoſtolus ibi eodem modo loquatur de tranſitu mortis, & peccati in omnes, eodem modo tranſire peccatum, quo Mors, ſed mors non tranſit actu in omnes, ſed ſecundum reatum, ſeu debitum, ergo verba D.Pauli ſic explicata, & intellecta à D. Thoma mirificè fauent Immaculatæ Conceptioni B.Virginis, ità quia poſito debito Peccati Originalis, actum euiſdem peccati omninò excludimus. Eãdem Doctrinam explicatiſſimis verbis repetit S. Doctor in 4.d.43.q.1.art.4.ad 3.& 3.p. q. 28. art. 1.ad 3.vbi cùm ſibi obiecifſet; aliquandò futurum, quòd aliqui Homines naſcantur ſinè Peccato Originali, & quòd etiam aliqui non moriantur, quia Eccleſia orat ſibi omnia debita relaxari in hac vita, ergo cùm ex vna parte inter huiuſmodi debita numerentur, concipi in Originali, & mori, & ex

alia

alia parte Oratio Ecclesiæ cassa esse non possit, cùm scriptum sit Ioann. 15. Quicquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis, manifestè deducebatur, aliquos Homines concipi sine Originali, aliquos Homines non mori; Cùm, inquam, hoc sibimet obijceret D. Thomas; Respondet; quòd in tali casu conciperētur, & nascerentur Homines cùm debito, seù reatu peccati, & mortis, idque sufficere ad indigentiam Redemptionis, & vt Homines dicerentur à Christo redimi, & liberari; Ergo D. Thomas intelligit verba Apostoli in sensu fauorabili Marianæ Præseruationi à Peccato Originali. Sed de hac re fusiùs infrà in Sacra Cent. lit. T.

7 Ad Primum Resp. Quę fuerit mens D. Thomæ in præsenti Controuersia tàm acri contentione vtrinque ventilatur, quàm ipsa Principalis, & Capitalis quæstio de Immaculata; ostendam infrà in Sacra Centuria Veterum PP. & Doctorum lit. T. in Sententia Antiquiorum Thomistarum, nō posse non admitti, D. Thomam stetisse pro Immaculata Conceptione B. Virginis à Peccato Originali, & ideò immeritò D. Thomas communiter censetur Auctor, & Antesignanus Contrariæ, & Affirmatiuæ Sententiæ.

8 Ad 2. Resp. Nequicquam potuisse Pelagianos sibi proficere, & Doctrina D. Thomæ vti ad dissipandum Argumentum D. Augustini, quia Pelagiani illud Peccatum Originale negabant in Adæ posteris, quo dato adstruebatur indigentia Redeptionis, & Gratiæ per Christum; At dato Originali vel actu, vel secūdum debitum adstruitur indigen-

tia Redemptionis,& Gratiæ per Christum,ideò Pelagiani vtrunque negabant, & Originale actu, & Originale secundum debitum in Adæ posteris, dicebant enim in ipsa Natura,& libero Arbitrio esse remedium salutis Posterorum Adæ,& ideò non indigere Homines Redemptione,& Gratia per Christum;

9 Ad 3. Resp. Verè particulam exclusiuam, *solus*, appositam subiecto excludere à participatione prædicati omnia, quæ sunt realiter distincta à subiecto; sed non excludere à participatione quacunque,& quocunque modo, sed tali, & tali; & ideò quandò dicitur, solus Christus non contraxisse Peccatum Originale, seù non habere Peccatum contractum, intelligitur, quòd B. Virgo, & quicũque alius non possint dici, quòd non contraxerint Peccatum Originale eo modo; quo non contraxit Christus; & quia Christus non contraxit ex vi naturalis generationis, hoc modo non potest dici, quòd non contraxerit B. Virgo; Verùm id non excludit, posse dici, quòd non contraxerit alio modo, nimirùm, vi Priuilegij specialis, quo modo non dicitur Christus non contraxisse. Declarari potest hæc Doctrina varijs instantijs, nam etiam dicitur de Deo, 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet Immortalitatem*, & tamen Anima Rationalis,& Angeli sunt Immortales. Dicitur Deut. 4. *Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies*, & tamen ab Apostolo iubemur obedire Dominis temporalibus. *Serui obedite Dominis carnalibus*. Ad Colos. 3. Dicimus de Deo in Hymno Angelorum. *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus*, & tamen Homi-

mines quoque fore Sanctos, & Dominos temporales, quis inficiabitur? Esto diuerso modo Deus sit Sanctus, Dominus, Immortalis, ac sint Homines, & Angeli.

ARTICVLVS III.

An D. Anselmus intellexerit Vniuersalem illam Pauli in sensu fauorabili Marianę Prę-seruationi.

1 VIdetur quòd non. Primò quia D. Anselm. lib. Cur. Deus Homo cap 15. stat pro Maculata Conceptione, ait enim, quòd *licèt ipsa Conceptio Filij Dei munda sit, & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa, vndè assumptus est, in iniquitate Concepta est, & in iniquitatibus Cõcepit eam Mater eius, & cùm Originali nata est*; ergo non potest Anselmus intelligere Vniuersalem illam Pauli pro Mariana Præseruatione, aliàs argueretur Antilogiæ.

2 Secundò quia: D. Anselmus in Prosologion ad Deum loquens ait. *Animam B. Virginis in macula culpę Originalis creasti, sed consequenter eandem primaria labe purgasti, & amictu munditię decorasti, & in Sanctitatis puritate posteà creasti.*

3 Tertiò D. Anselmus in Lib. de Excell. Virg. dicit. Ipsam mundatam per Fidẽ à peccato, & Christum sumpsisse Carnem de Massa peccatrice, ergo cum D. Anselmus sentiat, B. Virginem Conceptam in Originali, non potest intelligere Vniuersalẽ illã Pauli pro eius prę seruatione.

Sed

4 Sed Contrà est Dicendum. D. Anselmum intellexisse Vniuersalem illam Pauli in sensu fauorabili Marianę Præseruationi.

5 Probatur. Primò quia: D. Anselmus in peculiari Libel. de Concept. cap. 5. Sic loquitur de Apostolo Paulo Vniuersalem illam asserente. Ille Assertor puræ Veritatis, & à Filio tuo iam Cęlo prȩsidente Vas electionis cognominatus; omnes Homines in Adam peccasse fatetur; vera vtique Sententia, & cui contradici nefas esse pronuncio, sed cùm eminentiam Gratiæ Dei in Te considero, sicut Te non intrà omnia, quæ facta sunt, inęstimabili modo cōtueor, sic nec lege aliorum in tua formatione dimētitam esse, opinor; singulari, & humano intellectu impenetrabili Diuinitatis Virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione Liberrima. Ex quibus patet, D. Anselmum Vniuersalem illam Pauli intellexisse cùm exceptione B. Virginis à Peccato Originali, à quo dicit, illam fuisse liberrimam.

6 Probatur Secundò, quia D. Anselmus in explicatione 2. ad Corinth. c. 1. ad illa verba. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ait. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis neminè prorsus excepto, dempta Matre Dei siuè Originalibus, siuè etiam voluntate additis vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo, quod iustum est.* En quomodò D. Anselmus explicatissimis verbis excipit B. Virginem à morte causata generaliter in omnibus per Originale Peccatum, ergo sentit D. Anselmus in Vniuersali illa Pauli, B. Virginem non esse inclusā, sed exceptam, & omninò exclusam.

Non

7 Non me latet à quibuſdam Commentaria hæc in Epiſt. D. Pauli adſcripta D. Anſelmo exiſtimari, non eſſe eius opus genuinum, & verum, ſed Heruæi Britonis Mag. General. Ord. Dominic. Sed Maior Auctorum pars, cui ſtandum eſt, ea Commẽtaria tanquam legitimum D. Anſelmi partum agnoſcit. Deindè ea Commentaria non eſſe Heruei, Aduerſarij facilè admittent, quia in eorum Sententia totus Ordo Dominicanus pugnat pro Conceptione Maculata.

8 Probatur Tertiò quia: D Anſelmus non vno in loco ſuæ Doctrinæ, non vno in Opuſculo, ſed in pluribus, & pluribus, vt patebit infrà in Sacra Centuria SS. PP. lit. A. ſe fauentiſſimum Patronum Immaculatæ Conceptionis declarauit, ergo nõ poteſt non intelligere Vniuerſalem illam Pauli in ſenſu fauorabili Marianę Præſeruationi.

9 Ad Primum. Reſpondent Aliqui Primo, ea verba, quibus aſſeritur B. Virgo Concepta in Originali, & nata, non eſſe D. Anſelmi, ſed Boſo, ſeù Boſonis, cùm quo loquebatur D. Anſelmus, eſt enim ille Liber; Cur Deus Homo, compoſitus in forma Dialogi, vt patet ex ipſo contextu.

10 Reſpondẽt ſecundò alij. D. Anſelmum in Libro, quem poſteà edidit de Conceptu Virginali, & Peccato Originali retractaſſe ea, quæ ſcripſerat in Libro, Cur Deus Homo; addito præſertim, quòd Liber iſte, Cur Deus Homo, editus fuerat inſcio, & inconſulto D. Anſelmo, vt patet ex verbis Præfatiunculæ ad hunc Librum; quę ſunt iſta formaliter. *Opus ſubditum, quod propter quoſdam, qui ante quã perfe-*

perfectum, & exquisitum esset. primas partes eius mẽ nesciente sibi transcribebant festinantiùs, quàm mihi opportunũ esset, ac ideò breuius, quàm vellẽ, sum coactus, vt potui, consummare, nam plura, quę tacui, inseruissem, & addidissem, si in quiete, & congruo spatio illud mihi edere licuisset.

11 Resp. Tertiò D. Anselmum ibi nomine Peccati Originalis intelligere debitum, & reatum Peccàti Originalis, non Peccatum Originale actu, neque enim vllo modo verisimile est, à D. Anselmo pronunciatum esse, quòd B. Virgo sit nata in Peccato Originali; esto possit dici, quòd sit nata cùm debito Peccati Originalis, seù reatu; & licèt videatùr durum, nomine peccati intelligere debitum, seù reatum, tamen quia nomine mortis sæpè venit debitum, & reatus mortis, & quia eadẽ phrasi esse locutum D. Thomam, ostendimus suprà, non est, cùr ità loqui, & Theologizare dedignemur, quã do S. Præceptor ità loquitur, & Theologizat.

12 Ad 2. Similiter per Maculam Originalem D. Anselmum intelligere debitum, & reatum maculę, non maculam actualem, à qua dicitur purgata, non quod infuerit in Anima B. Virginis, sed quia infuisset, nisi fuisset Præseruata Speciali Gratia, & Priuilegio. Præterquamquod lecto eo libro in variis Impressionibus, adducta verba nunquam inuenire potui.

13 Ad 3. Resp. Beatam Virginem fuisse mundatam per Fidem non à Peccato Originali, quod excluditur per solam Gratiam Sanctificantem, sed ab aliqua infidelitate Negatiua, & dubio de An-

ge-

gelico Nuntio, vti dicitur Lucæ 1. *Et cogitabat qualis esset ista salutatio* quod dubium ex suo corde excussit B. Virgo præbendo fidem dictis Angeli; vndè ei ibidem dicitur; *Et Beata, quę credidisti, quoniam perficientur in Te, quę dicta sunt Tibi à Domino*; neque enim vllo modo dici potest, quòd in die Annũtiationis fuerit mundata à Peccato Originali, vt patet; Verè autem dicitur Christus natus de Massa peccatrice, idest, obnoxia Peccato ratione debiti, & reatus, non quòd actu fuerit infecta Originali.

ARTICVLVS IV.

An PP. *Concilij* T*ridentini intellexerint* V*niuersalem illam* P*auli in sensu fauorabili* M*arianę* P*rę*s*eruationi.*

1 VIdetur quòd non. Primò quia: In Hist. Cõcilij Trid. lib. 7. cap. 3. num. 8. pag. 600. & cap. 10. num. 3. pag. 642. capit. 13. num. 2. p. 649. & lib. 8. cap. 13. num. 6. pag. 712. refertur, PP. eius Cõcilii noluisse de hac materia Conceptionis B. Virginis tractare, & agere, vtpotè de Quæstione agitata inter Catholicos, vt corrigendis Hæreticorum erroribus, & damnandis hæresibus pleniùs consuleretur, ergo pro Mariana Præseruatione PP. illi ègerunt omninò nihil.

2 Secundò quia: Ses. 5. de Peccato Originali, §. vlt. Sancta Synodus declarauit, non esse suæ intẽtionis comprehendere in illo Decreto B. Virginem, sed voluisse indifferenter se habere quo ad vtranq; partem, & ab vtraq; pręscindẽdo nihil definire, er-

go in illo Decreto nil est, quod faueat Marianæ Præseruationi.

3 Tertiò quia: In eo Decreto Conciliū confirmat Constitutiones Sixti IV. sed Sixtus IV. prohibuit dāmnari Affirmatiuam Peccati Originalis in B. Virgine, ergo Affirmatiua, & Contraria Sententia à PP. eius Concilii relicta est in his terminis, & statu, quo erat anteà, ergo ex Concilio Tridentino nullum est Argumentum, siuè pro Affirmatiua, siuè pro Negatiua, & Mariana Præseruatione.

4 Sed Contrà est Dicendum. Ex Decreto de Peccato Originali lato à PP. Concilii Trid. colligitur satis probabiliter, quòd Vniuersalis illa Pauli, ab illis PP. fuerit intellecta pro Mariana Præseruatione.

5 Probatur Conclusio Primò quia: Concil. Tridentin. Decretum de trasfusione Peccati Originalis ab Adam in posteros omnes est, idem formaliter cum Vniuersali illa Pauli, *Peccatum transijt in omnes*, sed in eo Decreto declarat S. *Synodus*, non esse suæ intentionis comprehendere in illo B. Virginem, ergo in Vniuersali illa Pauli, declarat, non comprehendi B. Virginem. Minor patet ex verbis Concilii, quę sunt; Declarat tamen *S. Synodus* non esse suę intentionis cōprehendere in hoc Decreto, vbi de Peccato Originali agitur, Beatam, & Immaculatā Virginē Mariam, sed obseruandas esse Constitutiones Sixti IV. cùm pœnis in ijs contentis.

6 Maior, in qua videtur esse posita tota difficultas æquè clarè patet, ac Minor, ex verbis eiusdem Cōcilij §. 2. eius Decreti, vbi dicitur; Si quis Adæ

„ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse,& acceptam à Deo Sãctitatem, & „ Iustitiam,quam perdidit,sibi soli , & non nobis „ etiam perdidisse,aut inquinatum illum per inobe „ dientiæ peccatum,mortem,& pœnas corporis tã- „ tùm in omne Genus Humanum transfudisse,non „ autem & Peccatum,quod mors est Animæ,Ana- „ thema sit;cùm contradicat Apostolo dicenti. Per vnum Hominem Peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors,& ità in omnes Homines Mors pertransijt,in quo omnes peccauerunt.En quomodo identificantur Decretum Tridentini cùm Vniuersali Pauli,nam peccatum esse transfusum in om ne Genus Humanum , & peccatum transisse in omnes,seù in Adam omnes peccasse,idem sunt,ergò cùm primum asserãt Concilium, secundum dicat Apostolus,clarè deducitur,identificarì Decretũ Tridentini cùm Vniuersali illa Pauli.

7 Probatur Secundò Conclusio quia. Declaratio ista Tridentini est eadem omninò cùm celebri illa exceptione D.Augustini Lib. de Natur. & Gratia;cap.36.*Cùm de Peccatis agitur nullam volo habere Questionem de B.Virgine propter Honorem Domini*,Sed vi huius exceptionis B.Virgo est exẽpta ab Vniuersali illa Pauli,quia ex dictis suprà,Generales locutiones Sacræ Scripturæ D.Augustinus intelligit cùm exceptione,& limitatione,ergo.Probatur Maior,quia idem est formaliter, nolo habere Questionem de B.Virgine cùm agitur de Peccatis, at non est meæ intentionis comprehendere B.Virginem in Quæstione,seù Sermone, & Decreto de

Peccato Originali, de hoc enim erat Quæstio, An transfunderetur in Posteros, nam idem est formaliter nolo ambulare, & non est meæ intentionis ambulare; ergo.

8 Probatur Tertiò quia: Concilium Tridentinum innouat Constitutiones Sixti IV. sed eas esse editas in fauorem Marianæ Præseruationis, nullus dubitat, qui sanæ mentis sit, cùm explicatissima sint verba earum Constitutionum, & in altera earum approbatur Officium Nogarolicum, in quo repetitis vicibus acclamatur Immaculata Conceptio, & Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali, ergo.

9 Ad 1. Resp. PP. Concilij Tridentini noluisse agere de illa Quæstione directè illam definiendo, & nè diù agitata Controuersia recrudesceret, atque adeò Bellum Ecclesiæ Catholicę, Pax esset Hæreticorum; indirectè tamen, & per posticum (vt loquuntur Concilia) egerunt PP. illi Pientissimi iuxtà, ac Sapientissimi, quantum in ijs circunstantijs congruum, & expediens iudicarunt pro Mariana Præseruatione, in quam omnes omnium Religiosorum Ordines conueniebant, vno excepto, eoque dimidiato, vt notat Cath. loco vbi sup. in disp. ad Syn. Trident, legesis lib. 7. cap. 8. Historiæ eius Concilij.

10 Dices. Si PP. Concilij declarassent, B. Virginem non esse comprehensam in Vniuersali illa Pauli, iam Mariana Præseruatio esset definita tanquam Articulus Fidei; nam idem est, B. Virginem non esse comprehensam, seù inclusam in Vniuersali illa Pauli, & non contraxisse Originale, seù esse

Præ-

Præseruatam ab Originali, ergò si Concilium declarauit, non habuisse intentionem comprehendēdi in Vniuersali illa Pauli B. Virginem, ergo declarauit, B. Virginem non contraxisse Originale, seù esse Præseruatam ab Originali.

11 Resp. Quòd cùm Actus Agentium non extendātur vltrà fines eorum, l. cum omnis in princ. ff. si si certum petatur. Barbosa Axiom. 12. fol. 11. n. 7. Vndè si quis leuaret Puerum non cùm intentione contrahendi Compaternitatem, hæc non esset contracta, ideò quia Concilium solùm declarat, nō habuisse intentionem comprehendendi, non possunt verba Cōcilij extendi ad Definitionem, quam Concilium non intendit. Deindè ex eo, quòd Concilium declarat, se non Comprehendere Virginem in illo Decreto, non sequitur, B. Virginem non cōtraxisse Originale, sed solùm sequitur; ex illo loco Pauli non probari, aut colligi, B. Virginem contraxise Originale; esto possint Aduers. id aliundè, & ex alio loco Scripturæ, aut ratione, si quæ sit, probare.

12 Ad 2. Resp. patet ex dictis PP. eius Concilij indifferenter se habuise relatiuè ad definitionē, quia vt benè notat Auctor Hist. Conc. Trident. seù eius Abbreuiator lib. 9. cap. 10. loquendo de Summo Pontifice relatiuè ad Concilium. *Altro senso non mostrò se non che nelle Decisioni de Dogmi si lasciassero illese le varie opinioni degli Scholastici per non alienarsi veruna Schola senza necessità, mà tener vniti i Catholici contro gli Heretici.* Nullatenùs vero PP. eius Concilij indifferentes fuerunt in ordine

dine ad exclusionem, seù non comprehensionem B.Virginis in illo Decreto à se edito, & Vniuersali illa Pauli.

13 Ad 3.Resp. Per Constitutiones Sixti IV. solum prohiberi, nè altera pars damnetur tanquam Hæretica, vel erronea; ex eo autem, quòd PP. Tridẽtini declararunt, B.Virginem non includi in Vniuersali illa Pauli, non sequitur, Affirmatiuam, & Cõtrariam Sententiam esse damnandam, tanquã Hęreticam, vel Erroneam, quia potest Contraria niti alijs fundamentis, & fortasse etiam aliis Scripturæ locis, si quę sint; ex alia parte si B.Virgo includeretur in illa Pauli, non posset quis asserere sine nota Hæresis, aut peccati mortalis, B.Virginem fuisse Pręseruatam, & non inclusam in illa Vniuersali, quia contradiceret Apostolo dicenti. *Omnes in Adam peccauerunt*; & tamen Sixtus IV. in suis Cõstit. districtè prohibet, à quopiam dici, esse alicuius Hæresis labe pollutos, aut mortaliter peccare, qui credunt, aut tenent, B.Virginem fuisse Præseruatã ab Originali in sua Conceptione, ergò benè potest intelligi Vniuersalis illa Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt*, cùm exclusione B.Virginis, quæ non est vna ex omnibus, sed suprà omnes, vt ait S.Anselmus, lib. de excel. Virg. capit. 2. siuè alius S. Doctor, cuius est ille Liber D. Anselmo attributus.

ARTI-

ARTICVLVS V.

An Preseruatio B. Virginis à Peccato Originali benè cohæreat cùm eius Redemptione.

1 Videtur quòd non. Primò quia D. Thomas 2.2.q.81.art.3.ait. Secundum Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes Homines præter solum Christum ex Adam deriuati Peccatum Originale ex Adam cõtrahunt, alioquin non omnes indigerent Redemptione, quæ est per Christum, quòd est erroneum, & in Additio.q.38. art.1.ad 3. Hoc est erroneum dicere, quòd aliquis concipiatur sinè Peccato Originali præter Christum, quia illi, qui sinè Peccato Originali conciperentur, non indigerent Redemptione, quę facta est per Christum, & sic Christus non esset Redemptor omnium: & 3.part.q.27.art.2.in specie loquens de B. Virg. ait. Quòd si nunquam incurrisset maculam Originalem, non indigeret Redemptione, ergo B. Virginem fuisse ab Originali Præseruatam, non benè cohæret cùm eius Redemptione per Christum.

2 Secundò quia D. Augustinus Conc. 2. in 2. p. Psal.70. ait. Ipsa Redemptio clamat Captiuitatē nostram. Et Enar.in Ps.121. Si Redemptor noster Christus, ergo captiui tenebamur. Et Lib. de Perf. Iustitiæ, cap.14. ait. Quòd sicut non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus Matth.9. ità non est opus liberis Redemptor, sed seruis, vt ei dicat gratulatio libertatis; Saluam fecisti Animam

meam

meam à necessitatibus, Ps. 30. D. Greg. lib. 12. Mor. cap. 12. ait. Omnis, qui redimitur, ab aliqua procùldubio captiuitate liberatur; vndè ergo quispiam Redemptus est, nisi priùs fuit sub culpa captiuus? ergo si B. Virgo fuit à culpa Præseruata, & Præseruata à Captiuitate, non potuit esse Redempta; non ergo benè cohæret eius Pręseruatio cum Redemptione.

3 Tertiò quia. Si Præseruari ab Originali benè cohęret cùm Redemptione per Christum, potuissent Pelagiani D. Augustino arguenti ex Redemptione Paruulorum, contractum fuisse ab eis Peccatum Originale, respondere; Paruulos fuisse Redemtos Pręseruatiuè; sed hoc videtur absurdum, ergò non benè cohæret Præseruatio ab Originali cùm Redemptione.

4 Sed Contrà est Dicendum. Præseruationem B. Mariæ Virginis à Peccato Originali benè cohærere cùm eius Redemptione per Christum.

5 Conclusio non est minùs & clara, & certa in Via, & Doctrina Ioannis Scoti, quàm in via, & Doctrina D. Thomę, eius Interpretum, & Commentatorum, ideò Doctrinam Ioannis Scoti libenter prætereo hìc; malo me cōtinere intrà terminos, & fines Doctrinæ D. Thomæ, vt tandem aliquando Aduer. non erubescant discere ab Antiquis Thomistis quomodo sit intelligendus D. Thomas in hac materia, & cedant veritati.

6 Et Primò quidem Caietanus 1. 2. q. 81, art. 3. hæc habet in terminis; Si Peccatum Originale vel in actu, vel in necessitate habendi illud, quis nō incurreret, non egeret Redēptione, quod Hæreticū

esset

esset dicere, sed si omnes sint obnoxij Peccato Originali sufficit ad indigentiam Redemptionis, neq; enim solum Redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati; & hæc benè notabis Tu Thomista, nè nimio Zelo accensus non secundum scientiam, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cùm de Conceptione B. Virginis disputas, aut prædicas. Eandem Doctrinam repetit in Opusc. de Concept. art. 3. & explicans illud 1. Reg. 14. liberauit Dominus Ionatham, nè moreretur.

7 Secundò Seraphinus Capponi à Porrecta Comm. in 3. p. q. 27. art. 1. not. 3. hæc habet in terminis. Pro clariori notitia Prob. 3. part. concl. scire oportet, quòd illud de Fide creditum, scilicet, quòd omnium hominum Christus est Saluator à peccatis eorum, intelligitur duobus modis; & quocunq; istorum modorum de aliquo homine verificatur, saluatur fides illa. Primus itaque modus est, quòd alicuius sub peccato actualiter existentis sit saluator; idest de facto extrahens eum ex illo peccato. Secundus autem est, quòd alicuius in periculo cadendi in peccatum existētis sit Saluator, idest, de facto retinens eum, nè cadat in peccatum illud.

8 Tertiò Durandus in 3. d. 3. q. 1. num. 12. ait. Si B. Virgo Peccatum Originale non contraxisset, potuisset tamen verè dici Redempta à Deo pro eo, quod in radice sua ex natura suæ Conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à Deo Præseruata.

9 Quartò Petrus Paludanus Doctor Præclarissimus, & Patriarcha Hierosol. hæc habet in terminis

nis in 3.d.3.quæſ.1.loquens de B.Virg.Nec obſtat, quòd ſicut aliquibus videtur,quòd tũc nõ indiguiſſet redimi per Chriſtum, ſi nullum incurriſſet peccatum,quia impedire,nè aliquis obligetur,vt dicũt; non eſt redimere Hominem,verum eſt de illo, qui nunquam fuit obligatus nec in ſe, nec in ſua radice,ſed de illo,qui fuit obligatus in ſua radice,impedire,nè obligetur in ſe,eſt verè redimere, vt ſi aliquis impetraret, quòd proles naſceretur ex ſeruis, & non incurreret ſeruitutem,verè diceretur, prolẽ redemiſſe à ſeruitute; Cũ igitur B.Virgo eſſet ſeruituti Peccati Originalis obnoxia in ſua radice,id eſt,in Parentibus, ſi fuit impedita virtute Diuina; nè ſeruitutem hanc in ſe incurreret, vt eſſet conueniẽtior Mater Saluatoris,benè poteſt dici, quòd indiguit beneficio Redemptionis, & tantò magis & familiariùs fuit Redempta, quantò Redemptio fuit in ipſa celerius inchoata,

10 Deindè eadem Concluſio ex alijs Principijs D.Thomæ probatur;& Primò quidem quia D. Thomas 2.2.q.103.art.4.ad 2.docet; B.Virginem non eſſe adorandam adoratione Duliæ communi alijs Sanctis,ſed ob peculiarem ſui excellentiam,& Dignitatem Maternitatis adorandam eſſe adoratione ſpeciali,& ſingulari,quæ eſt Hyperdulia,ergò ob eandem ſpecialem ſui excellentiam, & Dignitatẽ Maternitatis debuit redimi Redemptione ſpeciali, & ſingulari,quæ eſt Præſeruatiua.

11 Secundò quia ex D.Thoma 3.p.q.25.art.5. Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius

illius principij , sed B. Virgo fuit propinquissima Christo Redẽptori, ergo B. Virgo magis participauit effectũ Redemptionis, quàm alia quæcunque Creatura; At non potest participare magis effectũ Redemptionis, nisi participet Redemptionem Præseruatiuam, quia Redemptio Prǽseruatiua est maior, & perfectior in genere Redemptionis, ergo. Minor probatur, quia per Redemptionem Præseruatiuam confertur maius bonum, nempè Originalis, & perpetua Innocentia, quam constat esse maius bonum, quàm Innocẽtia reparata, & restituta per remissionem peccati iàm commissi, ergo.

12 Dices. Cùm Francisco Syluio in 2. p. quæst. 27. art. 2. quòd licèt Innocentia Originalis, & remissiò peccati, seù liberatio à peccato, si comparẽtur adinuicem, simplicitèr, & absolutè sit maius bonum, attamen relatiuè, & comparatiuè ad personã, cui conferuntur, maius bonum est remissio peccati, seù liberatio ab illo, quàm Innocentia Originalis, quia is, cui peccatum remittitur, est persona magis indigna, seù minus digna, quàm is, cui tribuitur Innocentia.

13 Resp. Bonum dici maius, & minus ex entitate sua, & quidditate intrinseca, non extrinsecè, & relatiuè ad Personam, aliàs maius bonum conferretur plùs peccantibus, quàm minùs; quod est absurdum; & ideò ait D. Thomas 1. par. q. 20. art. 4. ad 4. Innocentia dignior est, & magis dilecta, quàm Pœnitentia; esto Remissio Peccati possit dici maius bonum, idest, bonum collatum personæ magis indignæ, seù minùs dignæ; & ideò si B. Virgo esset Re-

dempta à Peccato iam contracto, talis Redemptio esset quidem facta in persona magis indigna , seù minus digna,non tamen posset dici Redēptio perfectior,& maior,seù vberior.

14 Ad Primū Resp. Ex Caietano, & Seraphino Capponi locis citat. ad saluandam Fidem illam, quòd omnis ex Adam seminaliter propagatus contrahat Originale Peccatum sufficere,quòd vno, vel altero modo diuisiuè,seu disiunctiuè,idest , vel actu,vel in debito contrahatur , & ideò notanter D. Thomas 3.par.q.27.art.3.in Resp.ad 2.dixit; *Si B. Virgo nunquam incurrisset in Maculam Originalē*, seù vt explicat Seraph. Capponi, si *nullo modo* ex assignatis,non indigeret Redemptione; quia licèt non incurrerit actu,sufficit, quòd habuerit debitū, vt dicatur Redempta à Christo.

15 Ad 2.Resp.Quòd vt benè notat Caiet. in Opusc.de Concept.cap.3.esse captiuum,sicuti esse Redemptum,non consistit in indiuisibili,sed habet latitudinem,dicitur enim Captiuus non solum qui totaliter est in Captiuitatem redactus, sed qui cœpit in aliqua sui parte duci in Captiuitatem, & obnoxius est Captiuitati,& ideò benè D. Greg. loco vbi supra,dixit, *ab aliqua proculdubio captiuitate liberatur.* Cæterum esse in periculo proximo contrahendi,seù incurrendi inCaptiuitatem,est aliqua Captiuitas,quæ fuit in B.Virgine,quia habuit debitum incurrendi.

16 Ad 3.Resp. Pelagianos iuxtà eorum principia,& cohærenter ad propriam eorum Doctrinā non potuisse admittere, Paruulos fuisse à Christo,

Re-

Redemptos Redemptione præseruatiua, quia aliàs admisissent indigentiam gratiæ Christi personaliter in paruulis, quam negabant; deinde ex eo, quòd redemptio præseruatiua in Beata Virgine admittatur, non sequitur, eam esse quoque admittendam in quocunque alio, sicut licet admittamus Ioannem Baptistam exultasse in vtero, non propterea cogimur admittere, alios quoque Infantes exultasse in vtero; simile enim id esset, ac si quis (vt benè notat S. August. Epist. ad Dardanum) ex eo, quòd aliquãdo Asina Balaam locuta est, seriò admoneret Homines, Asinina expectanda esse consilia.

ARTICVLVS VI.

An Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali benè cohæreat cùm eius Baptismo.

1 VIdetur quòd non. Primò quia D. Augustinus passim in libris contra Pelagianos vrget, & inculcat necessitatem Baptismi ad tollendũ Originale, & quia Paruuli Baptizantur, infert, Paruulos contraxisse Peccatum Originale, ergo cùm Baptismo non benè cohæret, B. Virginẽ fuisse Præseruatam à Peccato Originali.

2 Secundò quia: Concilium Mileuitanum, & Tridentinum, Ses. 5. de Peccato Originali can. 4. & habetur c. Placuit de Cons. dist. 4. docent, non posse verificari verba Baptismi, quæ sunt eius Forma, in eo, qui non est affectus, & inquinatus Originali. Verba formalia Mileuitani sũt. *Si quis dixerit Paruulos Matrum vberibus abstractos non esse Baptizãdos,*

dos, vel non esse Baptizandos in remissionem peccatorum, per quod fit; vt forma Baptismi falsa reddatur; Anathema sit; ergò vt Forma Baptismi in B. Virgine vera sit, & non ficta, seù falsa, & perfunctoria, debuit in ea fuisse Peccatum Originale.

3 Tertiò quia. Baptismus est institutus ad delendum Originale, sicut Sacramentum Pænitentiæ est institutum ad delenda actualia post Baptismũ commissa, quæ sunt propria, & necessaria materia eius Sacramenti, ergo Baptismus non cõfertur, nisi habẽti Originale, quod est eius materia necessaria, sinè qua inualidè conferretur.

4 Sed Contrà est Dicendum. Præseruationem B. Virginis à Peccato Originali benè cohærere cũ eius Baptismo.

5 Probatur primò quia. Communis est DD. Opinio; Apostolos fuisse Baptizatos à Christo Domino, sed in illis non erat Peccatum Originale, iam enim fuerat illis remissum per Circumcisionẽ, quæ in Veteri Lege erat remedium institutum ad tollẽdum Originale, ergo. Secundò S. Ioannes Baptista, vt est probabilissima plurimorum opinio, fuit Baptizatus à Christo Domino, sed quando fuit Baptizatus, nõ habebat Originale, quia de Fide, vel penè de Fide est, fuisse in Vtero Sãctificatum, atque natum sinè Peccato Originali, ergo. Tertiò Cathecumenus, & dispositus ad recipiendum Baptismũ si ob Domini Martyrium recipiat lethale vulnus, & non statim moriatur, vt accidit in S. Lucia, S. Cæcilia, & quibusdã alijs, iã beneficio Martyrii accepit Gratiam, vt docet Vega lib. 6. in Trid. cap. 37. & remis-

missum est illi Originale, sicut & quodcumq; aliud Peccatum, ergo si antè mortem Baptizetur, vt tenetur Baptizari vi Vniuersalis Præcepti, iam reciperet Baptismum, & non haberet Originale, ergo B. Virginem non habuisse Originale, vel fuisse ab eo Præseruatam, benè cohęret cùm eius Baptismo.

6 Secundò probatur principaliter Conclusio quia: Non minus Sacramentum Baptismi est institutum ad delendum Originale, ac sit institutum Sacramentum Pænitentiæ ad delenda actualia, sed Sacramentum Pęnitentiæ sæpè confertur non habentibus actualia, quia sæpè confertur contritis, ergò. Pariter Sacramentum estremę Vnctionis æquè est institutum ad delenda venialia, ac Sacramentum Baptismi ad delendum Originale, sed illud potest conferri non habentibus venialia, vt de facto fuit collatum Beatę Virgini ex D. Antonino in 3. p. Summæ tit. 14. cap. 8. §. 3. Magno Alberto in Mariali cap. 74. & tamen de Fide est, B. Virginem caruisse venialibus. Denique nõ minùs in Lege Veteri Circumcisio erat instituta ad delendum Originale, ac in noua fit institutus Baptismus; at plures fuerunt Circumcisi, in quibus non erat Originale, vt patet in Abraham sanctificato per Fidem, & in sanctificatis in vtero, vt Ioanne Baptista, & Hieremia, ergo B. Virginem fuisse Pręseruatam ab Originali, benè cohæret cum eius Baptismo.

7 Demum, qui vim huius Argumenti perpẽdit, non potest non aduertere, eandem prorsus difficultatem locum habere in Sententia Aduers. admittentium in B. Virgine sanctificationem statim

post primum instans Conceptionis;hinc enim manifestè sequitur,non fuisse natam in Originali, & consequenter non potuisse Baptizari post Natiuitatem,sicut ergò eius Sanctificatio statim pro primum instans benè cohæret cùm eius Baptismo, ità & Præseruatio à Peccato Originali facta in primo instanti Conceptionis.

7 Ad 1.Resp.Quòd sicut Baptismus sępè confertur ijs,quibus alio medio dimissum est Originale,& similiter Sacramētum Pænitentiæ ijs confertur,quibus alia via dimissa sunt actualia, ità potuit conferri B.Virgini Præseruatæ ab Originali; ideò M.Albertus in Mariali,cap.72.docet. B. Virginem suscepisse per Baptismum Characteris impressionem,Virtutum exercitationem,& Gratiæ Augmētationem;Similiter docet, non celebrari Festum Baptismi B.Virginis,sicuti celebratur Festum Purificationis eius,quia Baptismus datus est in Medicinam Peccatorum, quæ non fuerunt in B.Virgine; Benè ergo componuntur adinuicem Præseruatio à Peccatis,& Baptismus in B.Virgine.

8 Ad Auctoritatem D.Augustini dico; benè, & validè arguere D. Augustinum contrà Pelagianos,Paruuli Baptizantur,ergo contraxerunt Originale,tùm quia non poterant Pelagiani assignare aliud medium,seù remedium,quo ablatum esset, vel impeditum,nè contraheretur Originalę à Paruulis, tùm quia Augustinus loquebatur de Baptismo vulgari,& communi,qui scilicèt solet conferri Paruulis communiter ex Antiquissimo Ritu Ecclesiæ per exsufflationem,& eiectionem Diaboli à corde Bapti-

tizandi, quo ritu, & qua forma non est collatus Baptiſmus Beatæ Virgini; & quòd de hoc Baptiſmi genere loquatur D. Auguſtinus patet ex eius verbis, quæ habet lib. 6. contrà Iulianum cap. 2. & ſunt formaliter. *Sed etſi nulla ratione indagetur, nullo ſermone explicetur, verum eſt tamen, quod antiquitus veraci Fide Catholica prędicatur, & creditur per Eccleſiam totam, quæ filios Fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à Principe mortis erueret.* & lib. 3. cap. 3. refert Pelagianorum dogma contrarium, quòd in Sacramento Saluatoris Paruuli baptizarentur, & non ſaluarentur; exorcizarentur, & exſufflarentur, & à Diaboli poteſtate non eruerentur.

9 Ad 2. Reſp. Ad veritatem Formæ Baptiſmi non requiri, quòd actu remittatur Peccatum Originale, ſed ſufficere, quòd ſit remiſſiuum, & deletiuum quantum eſt de ſe: eſtò per accidens aliquando non remittat, quia non inuenit in ſubiecto remittendum; nam ſimiliter veritas Formæ Sacramenti Pænitentiæ non exigit, quòd actu peccatum ſoluatur, & remittatur, ſed quòd ſit abſolutiuum, & remiſſiuum peccatorum, vndè eorum verborum, *Abſoluo Te*, ſenſus eſt, Sacramentum Abſolutionis tibi impendo; ex D. Thoma 3.p.q.84. artic. 3. ad 5. Hinc M. Albertus in Mariali c. 67. ſibi obijciens, quòd cùm Beata Virgo fuerit plena gratia, fictè acceſſiſſet ad Sacramẽtum Baptiſmi, quod eſt collatiuum Gratiæ: cap. 72. reſpondet; Quòd Beata Virgo accedens ad Baptiſmum ficta non fuit,

quia eo, quod habere debuit, non caruit, sed abundauit peccati detestatione, & Fidei perfectione, quæ requiruntur in Accedente; patet ergo, quòd ad Baptismi Formam verificandam sufficit, Baptismum esse collatiuum Gratiæ, atque adeò sufficit, illum esse remissiuum Peccati. Demùm ex Card. de Lugo Tom. de Sacram. Disp. 2. n. 3. Concil. Mileuitanū ibi per formā Baptismi non intelligere verba, quæ sunt Forma, & Pars essentialis Sacramenti, sed Ritum, & Formulam conferendi Baptismum per exorcismum, & exsufflationē, qua phrasi locutus est Innocentius IV. in cap. Presbyter de Sacramentis non reiterandis. & D. Augustinus locis citatis suprà, & prætereà Lib. 1. de Peccatorum Meritis, & Remiss. cap. 24. his verbis. *Quid de ipsa Forma Sacramenti loquar! Vellem, aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum Paruulum offerret; Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur?* & paucis interiectis. *Falsam igitur, vel fallacem Paruulis tradi Baptismi Formam, in qua sonaret, quod vtique agi videretur, & tamen nulla fieret remissio peccatorum.* Similia habet D. Augustinus de Nup. & Concup. ad Valer. lib. 1. cap. 20. & epist. 105. ad Sixtum.

9 Ad 3. Resp. Disparitatem esse, quia Peccata actualia, si mortalia sint, sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, sicut Venialia sunt Materia sufficiens. At verò Peccatum Originale non est Materia necessaria Baptismi; cum possit conferri non habentibus illud, vt patet in casibus suprà adductis. Prætereà ex Magno Alberto in

Ma-

Mariali cap.69. Beata Virgo accepit Sacramentum Pœnitentiæ, & Custodem suum S. Ioannem Euangelistam habuit à Secretis Confessionibus, & tamen Beata Virgo nullum habuit Peccatum actuale nec mortale, nec veniale, vt est de Fide. Quòd si dicas Beatam Virginem non potuisse elicere actū Contritionis, cùm nullum haberet peccatum; Respondet Albertus loco citato cùm D. Gregorio. *Bonarum mentium est, culpam agnoscere, vbi culpa nō est.* & cap. 70. dicit; Beatam Virginem Deo, & Ioanni Euangelistæ confessam esse, quòd tantam gratiam accepit, quam nunquam de condigno meruit, vel quam omnis Creatura merere potuerit, licèt ipsa de congruo meruerit. Demum alia disparitas desumi potest ex D. Augustino epist. 16. quia ad suscipiendum Baptismum sufficit, si quis habeat debitum, & reatum contrahendi Originale, sed ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit, quòd quis habeat reatum, & debitum peccati actualis. Verba D. Augustini sunt. *Et quamuis ab vtero recentissimi Paruuli solo reatu essent peccati Originalis obstricti, quare illis etsi multò facilior, quàm alienorum, sed tamen esset necessaria remissio Peccatorum.*

ARTICVLVS VIII.

An Præseruatio B. Virginis à Peccato Originali benè cohæreat cùm eius Morte Corporali.

1 VIdetur quòd non. Primò, quia D. Bonauentura in 3.d.3. §.1. Artic.1. q.2. ait. Si Beata Virgo caruit Originali Peccato, caruit merito mortis, ergo vel iniustitia facta est ei, cùm mortua fuit, vel dispensatiuè pro Salute Humani Generis mortua est; primum facit ad contumeliam Dei, quia illud verum est, Deus non est iniustus retributor: Secundum ad contumeliam Christi, quia aliàs Christus non fuisset sufficiens Redemptor, ergò cùm vtrumque falsum sit, dicendum est, Beatam Virginem non fuisse Præseruatam à Peccato Originali.

2 Secundò quia: D. Augustinus Concione 2. in Psalm.34.ait. *Vt celeriùs dicam. Maria ex Adam mortua est propter* Peccatum, *Adam mortuus est propter* Peccatum, *Caro Domini mortua est ad delenda peccata.* Et lib.1. de Peccat. Merit. & Remis. cap.35.36.lib.4. ad Bonif. cap.4. Soli Christo tribuit mortem innocuam. Ità etiam loquitur S.Prosper lib. de Vit. Contempl. cap.20. Christus solus sinè Peccato Conceptus, culpam nostram suscipere non potuit, sed susceptione pœnæ nostræ, culpā nostram aboleuit, & pœnam, ille enim mortuus est peccato nostro, non suo, vnusquisque autem no-

strum,

ſtrum, non alieno, ſed ſuo peccato moritur.

3 Tertiò quia. D. Auguſtinus arguens contrà Palagianos, ex eo probat, Paruulos contraxiſſe Peccatum Originale, quia moriuntur, nam lib. 6. con. Iul. cap. 4. hæc habet; P*aruuli moriuntur*, *ergo habent* P*eccatum Originale*. D. Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia Chriſti cap. 4. ait. Qua Iuſtitia Paruulus ſubijcitur Peccati ſtipendio (quod eſt mors ex Apoſtolo. ad Rom. 6.) Si nulla eſt in eo peccati pollutio, vel quomodo videmus morte punctum, ſi non ſenſit aculeum?

Sed Contrà eſt Dicendum: Præſeruationem B. Virginis à Peccato Originali benè cohærere cùm eius morte corporali.

4 Probatur Concluſio à nonnullis, quia Mors de ſe non eſt pœna peccati, ſed conditio naturæ, quæ cùm conſtet ex contrarijs, à quibus omnis corruptio, & mors, ex intrinſecis principijs ad corruptionem, & mortem tendit; eſto deindè, quòd occaſione peccati ab Adam commiſſi, facta ſit pœna peccati, cùm alioquin Homò beneficiò conditoris, & vi Iuſtitiæ Originalis, fuiſſet immortalis.

5 Sed contrà videtur eſſe, & non benè concludere hoc Argumentū: Si. n. Mors poſt Adę peccatum, facta eſt pęna peccati; ex eo, quòd in aliquo ſit Mors, quæ eſt pœna peccati, efficaciter deducitur; quòd in eo ſit quoque Peccatum, & Culpa, relatiuè enim ſe habent Culpa, & Pœna, vndè D. Auguſtinus lib. 1. contrà Iulianum cap. 1. ſic arguit. Negas obnoxias eſſe Peccato, quos eidem cernis obnoxios eſſe ſententiæ.

6 Pro-

6 Probo igitur validiùs, & efficacius, quòd ex morte corporali, quam passa est Beata Virgo, non liceat inferre in ea fuisse Originale; quia Mors, quæ est pœna Peccati, est mors dolorosa, plena timoris, & angustiæ, quam in dies experimur in hora, & Articulo Mortis; At Mors B. Virginis fuit non solùm expers doloris, & angustiæ, sed plena lætitiæ, & gaudij; ergo. Minor probatur Auctoritate SS.PP. Et primò quidem ex Damasceno Orat. 2. de Dormit. Deiparæ, vbi discessum B. Virginis ex hac vita non audet Mortem appellare, sed dicit, quendam somnum fuisse, seù Dormitionem. En verba. *Quo pacto intrepidis, & minimè trementibus labris effera morte vitam auferente obtegitur, quæque eius euersorem pepererat, ad eam, motus omnis expertem accedat? si tamen sanctissimum, & vitalem eius somnum mortem appellare fas est*; Similiter & S. Andræas Hierosolymitanus Episcop. orat. 2. de Dormit. Deiparæ, ait: B. Virginis Mortem fuisse extaticum quendam soporem, ad instar soporis in Adam. Eadem phrasi loquitur S. Germanus Patriarcha Constantin. in orat. 1. de Dormit. Deiparæ. Theodorus Abucaras opusc. 35. & 37. & reliqui omnes PP. Græci.

7 Secundò eadem minor principaliter probatur ex Reuelatione facta S. Brigittæ, vt habetur lib. 6. cap. 62. his verbis. *Cùm quadam Die Animus meus suspensus esset in admiratione Diuinæ Caritatis, tunc Anima in ipsa Contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix capere poterat, & in ipsa consideratione Anima mea à corpore soluta fuit*

ità

ità introducitur loqui B. Virgo.

8 Tertiò ex Beato Laurentio Iustiniano serm. de Assumpt. vbi ait; B. *Virgo prę amore, & sine dolore mortua est.* Et Mag. Albertus in suo Mariali c. 171. ait; Legitur de Ioanne, quòd facta oratione appositus est ad Patres suos tàm extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione Carnis, sed B. Virgo improportionaliter extranea fuit à corruptione Carnis; ergo improportionabiliter aliena fuit à dolore mortis.

9 Quartò demum ex B. Amadeo Lausanensi Episcopo, & S. Ildephonso Toletan. Archiepiscop. Et quidem B. Amadeus homil. 7. de laudib. B. Virg. hæc habet. *Quis fatu explicet, quàm lęta migrauit è corpore, quàm lęta vidit Filium suum, quàm gaudens properauit ad Dominum*; & S. Ildephonsus sermon. de Assumpt. refert. Beatam Virginem fuisse à Domino inuitatam illis verbis. *Veni Electa mea*, &c. subditque. *Ad quam ipsam vocem credimus, quòd gaudens, & ridens soluta est Beata illa Anima, & perrexit ad Dominum.*

10 Probatur secundò principaliter Conclusio, quia, vt benè notat Caietanus in opusc. de Concep. cap. 2. Pœna mortis temporalis erat debita Naturæ Humanæ ex parte Carnis, sicut clausura Regni cælestis, erat pœna debita Naturæ Humanæ ex parte Temporis, quia scilicèt Christus nondum aperuerat ianuas Paradisi clausas per Originale. Et quia Peccatum Originale in Carne B. Virginis non negant, qui defendunt illam Præseruatam in Anima ab Originali, ideò benè cohæret eius Præserua-

tio ab Originali cum morte corporali, ſicuti eadem Præſeruatio benè cohæret cum Fomite peccati, quem in primo inſtanti Conceptionis Marianæ nō fuiſſe extinctum, ſed ligatum, ſatis probabiliter cum D. Thoma ſentiunt plerique Marianę Præſeruationis Defenſores.

11 Demum ſicut hi, qui liberati ſunt à Peccato Originali vi Baptiſmi, non ſunt immunes à Morte, & cæteris pœnalitatibus, ità licèt B. Virgo ſit ab Originali præſeruatiuè ſpeciali gratia ſaluata, non eſt immunis à morte corporali, & cæteris pœnalitatibus, benè ergo cohærent Præſeruatio ab Originali, & mors corporalis.

12 Ad 1. Reſp. Mortem temporalem eſſe pœnam Peccati Originalis prout in Carne, non verò prout inficit Animam, & ideò non eſt iniuſtus Deus permittens mortem corporalem in Beata Virgine, in qua non negamus fuiſſe Peccatum Originale in Carne, ſeù debitum contrahendi Peccatum Originale. Deinde dico, aliud eſſe loqui de Morte communi, & plebeia, quæ eſt plena doloris, timoris, & anguſtię; & aliud eſt loqui de Morte, quæ ſit Somnus, Sopor, & Dormitio expers doloris, timoris, & anguſtię; imò plena gaudij, & lętitiæ, qualem fuiſſe mortem Beatæ Virginis SS. PP. docent communiter: & quidem S. Bonauentura loquitur de morte primi generis, non ſecundi.

13 Ad 2. Reſp. Textum D. Auguſtini non eſſe adductum ex fide; non enim dixit Auguſtinus; *Maria eſt mortua propter peccatum*; ſed dixit. *Maria eſt mortua propter peccatum Adę*. vt videre eſt in

ple-

plerisque Impressionibus Antiquis, nempè Basilien-si. Anno 1489. Veneta Anno 1493. & 1551. Lugdunensi Anno 1519. 1520. 1563. Parisiensi Anno 1531. 1542. 1571. demum alia Basiliensi Anno 1529. Esto in Impressione nouissima Antuerpien. Anno 1580. particula illa, *Adę*, reperiatur abrasa; cuius culpa; incertum. Dicitur autē B. Virgo mortua propter peccatum Adæ ex triplici Causa. Primò, quia habuit debitum contrahendi Peccatum Originale. Secundò ratione Naturæ Humanæ, quæ cùm eadem specificè fuerit in B. Virgine, & in cæteris Hominibus, fuit illa propter Adæ peccatum spoliata dono Immortalitatis, & ideò subiecta morti. Tertiò, quia est mortua morte naturali, non violenta, vt arbitrati sunt plerique ex eo, quod legitur in Euangelio Lucæ 2. *Tuam ipsius Animam gladius pertransiuit.* Cęterum soli Christo tribuitur Mors innocua, quia solus ille liber fuit à debito, ideòque Mors in illo fuit pura conditio naturæ, quare si non fuisset mortuus morte violenta pro Humano Genere, senio fuisset confectus. Ità D. Augustinus lib. 1. de Peccat. Mer. & Remiss. c. 32. *Ad Mortem illa Caro senescēdo peruenire potuisset, nisi Iuuenis fuisset occisus.*

14 Ad 3. Resp. Benè, & validè Augustinum ex morte Paruulorum colligere, fuisse in his Originale Peccatum, saltem in Carne, & in debito, quod negabant Pelagiani, asserebant enim Paruulos nasci ex parentibus sanctificatis, atque adeò non contrahere Originale Peccatum, & ideò non indigere Gratia per Christum. Vel etiam; D. Augustinum

non ex morte quacunque, ſed ex Morte tali, ideſt plena doloris,& anguſtię,deducere,Peccatum Originale fuiſſe in Paruulis. Ex his explicatur S. Fulgentius, qui arguens contrà Pelagianos conabatur ſaltem euincere, Paruulos contrahere Peccatum Originale in Carne, vt indè probaret, fuiſse in ijs indigentiam Gratiæ per Chriſtum.

QVARTA PARS

SEV

SACRA CENTVRIA

Veterum SS. PP. & Doctorum ordine Alphabetico Digestorum Pro Immaculata Conceptione, seù Præseruatione B. Mariæ Virginis à Peccato Originali.

CAusam Immaculatæ Cõceptionis, seù Præseruationis Marianæ quis agat absq; Sanctorum Patrum suffragio? quorum constipata pietas erga Beatissimam Deiparentem adeò studiosa semper fuit, vt quidquid Gratiæ, quidquid Sanctitatis, quidquid Excellentię, quidquid Dignitatis, & Perfectionis de Sanctissima Maternitate Dei dici, scribi, aut excogitari vnquam infra Deum potuerit, religiosa, atque integra fide semper crediderint, cæterisque Fidelibus suis in Voluminibus credendum prodiderint.

In hac igitur Sacra eorum Centuria primùm habeat locum, & primam Sedem, qui primas Theologos inter celeberrimos partes tenet

A

1 ALBERTVS Magnus Ordinis Dominicani Beatorum Albo adſcriptus, qui in ſuo Mariali, ſeù de laudibus B. Virginis cap. 179. loquens de varijs gradibus Puritatis in Summo, quam aſſerit eſſe in B. Virgine, & præcisè de primo eius modi Puritatis Gradu; ita pronunciat; *De primo ait Cantic.4. Tota pulchra es, & macula non eſt in Te. Tota pulchra ab Originali, tota pulchra à mortali, & Macula, ſcilicèt, Peccati Venialis non eſt in Te.* Eadem verba repetit in Biblia Tit.Apocalypſis. Iterum in Mariali cap.198. ad illud, *Gratia plena*. Ideò dicit, Beatam Virginem fuiſſe dictam, Gratia plenam, *Quia omnes Gratias generales, & ſpeciales omnium Creaturarum in ſummo habuit, & quia illas Gratias habuit, à quibus omnis Creatura vacuafuit.* Sed Gratia Præſeruatiua à Peccato Originali eſt illa, à qua omnis Creatura vacua fuit, quia omnes Creaturæ in Adam peccauerunt, ergò B. Virgo habuit Gratiam Præſeruatiuam à Peccato Originali ex mente M.Alberti. Demum idem M. Albertus Super miſſus eſt, & Magnificat. ad ea verba. Inueniſti Gratiam, ità diſcurrit „Inueniſti Gratiam per„ditam ab Eua, à Te quæſitam: ab Eua quidem „perditam, quia totius Mundi Gratiam Origina„lem ipſa perdidit. 1.ad Timotheum cap.2.Vir nō „eſt ſeductus, ſed Mulier in præuaricatione ſedu„cta fuit. Geneſ.cap.3.Mulier, quam dediſti mi„hi ſociam, dedit mihi, & comedi; eccè inuenta eſt

„ est amarior morte Mulier. Ecclesiast.7.A Te autem quæsitam diligenter inuenisti, ergo Beata Virgo inuenit Gratiam Originalem; An non Gratia Originalis illa est, quæ à Peccato Præseruat Originali?

2 B. ALBINVS seù Alcuinus Flaccus Ordin. S.Benedicti. Vener. Bedæ Discipulus, Caroli Magni Præceptor, Academiæ Parisiensis Institutor serm.2.de Natiu.Beatę Virginis ait. *Hortus conclusus Tu es Sancta Dei Genitrix, ad quem deflorãdum manus peccatoris nunquam introiuit.* Si nunquam ad deflorandum Marianum Hortum introiuit manus peccatoris, ergo nec in sui Conceptione fuit per Originale Peccatum à potestate diaboli deflorata, & corrupta. Eodem serm.paulò post adducta verba ait. *Tu ergò pulchra es, vt Luna, imò pulchrior Luna, quia Tota pulchra es, & macula non est in Te, nec vicissitudinis obumbratio.* At quomodo Beata Virgo est pulchrior Luna, nisi careat omnī prorsus macula etiam Originali, quando in Luna aliquam esse Maculam non dubitamus?

3 B.AMADEVS Lausanensis Episcopus Homil.7. de laudib. B. Virg. loquens de Gloriosa eius Assumpt sic ait. *Et Natum in gloria prestolantem se videre, sicut expers totius corruptelę, sic immunis ab omni molestia de Carnis Habitaculo educta est perẽniter habitatura cùm Christo.* Si ergo Beata Virgo asseritur ab Amadeo expers totius corruptelæ, ergo asseritur expers Peccati Originalis, à quo omnis corruptio, à quo per antonomasiam Humana Natura dicitur corrupta. Ibidem, mors B. Virginis dicitur

citur

citur esse sinè dolore, quia ergo mors dolorosa est pœna peccati originalis, B. Virgo fuit expers mortis dolorosę, ergo fuit expers Peccati Originalis. Itidem introducitur laudata ab Angelis eius Virtus integra, & plena gratia; At quomodo virtus eius est integra, si corrupta per Originale? quomodo est plena gratia, si vacua est Gratia Præseruatiua à Peccato Originali?

4 B. AMADEVS Franciscanus Sixti IV. à Sacris Confession. & Mediolani Amadeorum Congregat. Institutor in sua noua Apocalypsi, seù manus, Meditatione, Raptu 4. introducit Angelum ad se ità loquentem. „ Nullus est ex filijs Adæ, cui „ aliquãdo nõ fuerit iratus Deus; & paucis interie- „ ctis, nullus est, quem pro aliquo tempore in sua „ ęterni tate Deus non habuerit pro inimico, pręter „ hanc, de qua loquimur omnium nostrorũ Domi- „ nam, quæ non solùm pro illo tempore, quo cæpit „ esse, sed pro immẽsitate æternitatis Diuinæ sẽper „ ante faciem eius astitit gratiosa, & accepta.

Et infrà docet; B. Virginem fuisse magis Saluatã, & magis Redemptã, quàm alios Homines. ait enim; „ quę enim vnquam labe polluta est, aut vlla sorde, „ neque dùm esset, nec dum à Deo æternaliter „ intelligeretur, & hoc meritis Saluatoris à Deo „ prænotis magis redimi non potuit. Et rursus infrà loquẽs de Passione, & Morte eius, ait. „ Mors „ tamen, & Passio Virgini, & Matri fuit pœna „ peccati, quia ex natura suæ propagationis in „ maculam peccati incidisset, nisi eam Deus meritis Passionis Filij præuisis absolutè pręseruasset.

ſet. Sed & Raptu 8. refert. Archangelum Gabrielem, ità loquentem.

„ Firmiter credendum eſt, Ipſam, quam Deus ſu-
„ per omnes Angelos elegit in Gratia, & Gloria; &
„ quam primam poſt ſe in Regno ſuo eſſe voluit, &
„ per quam omne bonum, & omne donum in Ho-
„ mines transfundere ſtatuit, & quam in ſuam Ma-
„ trem elegit, nunquam fuiſſe filiam Iræ, nunquam
„ in aliquo peccato fuiſſe maculatam; nũquam ne-
„ que dùm exiſteret, neque antequam exiſteret, &
„ in mente Diuina viſione apprehenderetur, fuit
„ apprehenſa, tanquam Inimica, aut Gratia ca-
„ rens.

Omitto hìc breuitatis Cauſa quamplura alia B. Amadei ex Archangelo Gabriele verba Immaculatę Conceptioni fauentiſſima, quibus Apoſtoli Beatiſſimi Andræas, Matthias; Marcus, & Lucas Euangeliſtæ in obitu Deiparę referuntur decantaſſe. Videat illa Pius Lector in Auctographo ipſius Amadei aſſeruato in Bibliotheca Vaticana, Altempſiana, Sforziana, Sirletina, Dominicana Lugdunẽſi, Franciſcana Barchinonenſi, Olmedenſi, & demũ in Bibliotheca Regia S. Laurentij Eſcurialis Pluteo 3. lit. D. num. 4. in fol. in Apoſt. Marianis Marracij, demum in Theol. Mariana de la Vega tom. 1. Pal. 3. & 33. Non me latet à Caietano 2. 2. q. 174. artic. 6. & ab Abrahamo Bzouio tom. 18. ſuæ Hiſt. Eccleſ. à fol. 28. vſque ad 30. varijs Cenſuris Reuelationes B. Amadei inuri, & notari: Sed pariter mihi cõpertiſſimum eſt, eaſdem Reuelationes inuictè defendi, & ad huiuſmodi Cenſuris vindicari à grauiſ-

ſimis

ſimis. Auctoribus Ildephonſo Brizenno Epiſcopo Nicar. à Petro Alua in ſua Biblioth. Virg. tom. 1. fol. 661. & alijs.

5 S. AMBROSIVS Epiſcopus Mediolanenſis, & præclariſſimus Sanctæ Eccleſiæ Doctor, S. Auguſtini ſecundum Euangelium Pater; plurimis ſuorum operum Locis Marianam Præſeruationem teſtatam reliquit. Et primò quidem Enar. in Pſalm. 118. verſic. vlt. ſic ait. „ Suſcipe me non in carne, „ quæ in Adam lapſa eſt, ſuſcipe me non ex Sara, „ ſed ex MARIA, vt incorrupta ſit Virgo, ſed „ Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. Maria ergo non eſt lapſa in Adam, integra eſt ab omni labe peccati per Gratiam, non eſt ergo infecta peccato originali; ſed Præſeruata ab illo, Non me latet Vaſq. 3. p. diſp. 117. cap. 2. num. 40. prædicta verba non accipere in ſenſu fauorabili Marianę Præſeruationi, ſed quia maior pars Auctorum eſt in contrarium, his potius ſtandum eſt. Secundò D. Ambroſius lib. 2. de Virg. par. 1. ait. „ Bona domus „ in ipſo veſtibulo debet agnoſci, ac primò præ- „ tendat ingreſſu, nil intus latere tenebrarum, Sed Beatam Virginem eſſe bonam Domum, imò Sacratiſſimum Spiritus Sancti Templum, nemo Pius ibit inficias, ergo in ipſo veſtibulo, & ingreſſu B. Virginis in Mundum, quę eſt eius Conceptio, nihil debuit habere tenebrarum, quæ à peccato ſunt originali. Tertiò demum explicatiſſimis verbis Prę- ſeruationem Marianam teſtatus eſt S. Ambroſius ad illud Iſaiæ, egredietur Virga de radice Ieſſe; ait enim ibi de B. Virg. *Hęc eſt Virga, in qua nec nodus*

origi-

originalis,nec cortex actualis culpę fuit. Et quamuis in nouissimis Codicibus ea verba non reperiantur, in antiquissimis tamen omninò leguntur.

Verum huic Auctoritati adstipulatur primò, quòd idem Ambrosius libr. 2. in Lucam fatetur, se edidisse Commentaria in Isaiam; & lib. 1. de instit. cap. 9. ait. *Virga es, ò Virgo, non inflecteris, non curuaris in terram, vt in te flos radicis ascendat*, sed B. Virginem esse virgam non curuatam, & inflexam in terram, est fuisse expertem nodositatis, & labis originariæ, qua Genus humanum curuatum, & inflexum ad terram est, ergò.

Adstipulatur secundò; quia Breuiaria antiqua, vt Nogarolicum, & Bustinum, vtrumque à Sixto IV. approbatum, habent ea verba, & tanquam Ambrosij recognita sunt ab Ecclesia spatio ferè Centum Annorum, quibus vsa est Breuiario Nogarolico: recognita sunt ergo, & approbata ea verba à Summis Pontificibus tanquam Ambrosij; indè fit, vt ea verba perindè se habeant, ac si Summus Pontifex repetitis vicibus ea enunciasset, vt dixi in Discursu meo Theologico fol. 31. quia *Omnia nostra meritò facimus, quibus Auctoritatem nostram impartimur*, l. 1. C. de vetere iure enunc. Secundò quia *Qui confirmat, dat*, l. obuenire, ff. de verb. signif. l. asse, ff. de hæred. instit. Hinc est, vt etiam Paulus V. concesserit centum annos Indulgentiarum recitantibus illam Antiphonam *Aue Virga, &c.* Et Orationem, Deus, qui per Immaculatam, &c. vt patet ex Bulla edita die 10. Iunij anno 1616.

Adstipulatur tertiò, quia; omnes assertores Ne-

gatiuæ tàm Moderni; quàm Antiqui eadem verba tanquam Ambrosij recognoscunt, imò Turrecremata, seù veriùs Bartholomæus Spina S.A.P.Mag. in trac.de Verit.Concep.p.10.c.26.quamuis Affirmatiuam teneat, ingenuè tamen fatetur, ea verba recitari ab Ecclesia tanquam Ambrosij, non quidē in die Festo Conceptionis,sed in die Festo Natiuitatis Marianæ, vt denotetur immunitas Beatæ Virginis à Peccato Originali in Natiuitate,non in Cōceptione; in quo sanè vltimo dicto fallitur Spina, quia illa verba singulariter dicta de B. Virgine, & non de alijs Sanctificatis in vtero; denotant immunitatem eius à Peccato Originali in Conceptione, quod est illi singulare; ac speciale, nam immunitas ab originali in Natiuitate est alijs Sanctificatis in vtero commune.

Adstipulatur quartò, quia non solùm Philippus III. Hyspaniarum, & Indiarum Rex Pientissimus, Religiosissimus,sed etiam Ludouicus IX.Gallorum Rex Sanctorum Catalogo adscriptus ijs verbis in Paruis,& priuatis officijs vsus est,vt patet ex ijsdem officijs iussu Ludouici XIII. Francorum Regis impressis Anno Domini 1643. Parisijs, quæ Parua officia approbata sunt à Doctoribus Sorbonicis, & Episcopo Vdurienfium Ranconis;& seruātur Neapoli in Bibliotheca PP.Carthus.Monasterij Regalis S.Martini.

6 S.AMPHILOCHIVS orat.de Deipara,quę habetur in Cod.Impresso Parisijs Anno 1644.opera Francisci Cambefisij Ord. Præd. Immaculatam Conceptionem Marianam his verbis testatus est.

Qui

Qui antiquam Virginem sinè probo condidit, ipse & secundam sine nota, & crimine fabricatus est; Ergo B. Virgo in sui fabricatione, seù Conceptione fuit sinè nota, & crimine originali.

7 S. ANDRAEAS Apostolus dixit Aegeæ Proconsuli, vt referunt Surius in eius vita, & Abdias lib. 4. Hist. de Gestis eius. *Quomodo de Immaculata Terra factus fuerat Homo primus, qui per lignū Præuaricationis Mundo mortem intulerat, ità necessarium fuit, vt de Immaculata Virgine natus Christus perfectus Homo vitam æternam, quam perdiderant omnes, reparet*; Sed primus Homo fuit ex terra penitùs intacta, prorsus Immaculata, nulla vel aratro, vel alio ferro proscissa, ergo Christus Dominus secundus Homo debuit esse de B. Virgine prorsus intacta, penitùs Immaculata, nulla peccati sorde contaminata; Præseruata ergò fuit ab Originali ex mente S. Andreæ Apostoli.

8 ANDRAEAS Hierosolymitanus Episcop. Patria Cretens. Encom. 1. de Dormit. Deiparæ, hoc de Immaculata eius Conceptione edidit testimonium, dicens; *Is, qui nunquam capi potest, nullis cōpressus angustijs habitauit in Vtero Virginis, quę Vniuersam, quę est in generatione Naturam, superauit puritate*. & versus finem, *O miser ego, quòd sum compunctus, quòd Homo cum sim, & habeam labia immunda audeo aliquid dicere de pura, & impolluta, & quę summè plena est omni sanctitate*. Si Beata Virgo superat omnem naturam Puritate, ergo habuit Puritatem Pręseruatiuam ab Originali, nam omnis alia Puritas reperitur in alijs Creaturis. Rur-

sus si est summè plena omni Sanctitate, ergò illi non deest Sanctitas Præseruatiua, aliàs non esset plena omni Sãctitate, deesset enim illi Sãctitas aliqua, & qua ratione esset summè plena, si vacua ea Sanctitate originaria, quæ est potissima?

9 S. ANASTASIVS Sinayta Antiochenæ Ecclesiæ Episcop. orat. 3. de Incarnat. Verb. hæc habet pro Mariana Præseruatione. *Verbũ enim, quod in principio erat Deus, cum vellet fieri* Homo, *quia non posset* Homo *aliter saluus fieri, ingressus est in Vterum Virginalem, & omnis corruptionis expertẽ, erat enim casta spiritu, & corpore.* At non fuisset Vterus Virginalis expers omnis corruptionis, si fuisset vel in momento infectus Peccato Originali, à quo omnis corruptio, ergo ex mente S. Anastasij Sinaytę B. Virgo fuit expers Peccati Originalis in sui Conceptione.

10 S. ANSELMVS Natione Italus, Professione Monachus, Archiepiscop. Cantuariens. in Anglia pro Immaculata B. Virgin. Conceptione testimonia plura non modò suis in operibus perscripta reliquit, sed Declamator celeberrimus, & Promulgator extitit Festi Conceptionis, nam vt habetur ex Francisco Biuario in S. Anselmo Vindicato, & Edinero in eius Vita, quo tempore Anselmus erat Prior Monasterij Beccensis facta est Reuelatio de hoc Festo celebrando, Elsino, seù Elpino Abbati eiusdem Monasterij, vbi primũ in Anglia cœpit hoc festum solemniùs celebrari. Deindè Anselmus ab Vrbano II. Archiepisc. Cantuariens. inauguratus, eam celebritatem per omnes Angliæ Ecclesias pro-

pa-

pagauit. Lugduni dùm exularet Anselmus, idem Festum celebrandū Canonicis Lugdunen. proposuit, persuasit; Et quia Anselmus prima vice exul ex Anglia factus, dum Romam peteret, Capuæ aliquandiù versatus est, satis mihi probabile videtur in Capuanam Ecclesiam hoc Festum ab Anselmo fuisse introductum, & propagatum, nā ex Martyrologijs eiusdem Ecclesiæ habemus hoc Festum antiquo tēpore fuisse ibi celebratum; prostant in publicis Bibliothecis Capuana Martyrologia antiqua Impressa Neapoli apud Octauium Beltranum Anno Domini 1630. collecta ex vetustissimis MS. Ecclesiæ S. Ioānis à Michaele Monaco Decretorum Doctore, Canonico, Præsbytero Capuano. Verùm S. Anselmi in primis est famigeratissima illa, & celeberrima Sententia lib. de Conceptu Virginali, & Peccato Origin. cap. 18. *Decens erat, vt ea Puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ità dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris & Virginis Filius, & quam ipse Filius substātialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, vt nasceretur ille, de quo procedebat.* Et sanè Puritas B. Virginis, qua maior sub Deo nequit intelligi, consistit non in sola carentia actualis, sed etiam Originalis Peccati, aliàs si Beata Virgo solis actualibus caruisset, maior Puritas sub Deo posset intelligi consistens in carentia Originalis.

Secundò in libello integro pro Immaculata Cōcep-

ceptione à D. Anselmo cõposito, qui incipit. *Principium quæ mundi salus*. Immaculata Conceptio B. Virginis non solùm asseritur, sed pluribus etiam argumentis probatur, & nè prolixitate tædium pariam Lectori meo, referam hic solummodò, quæ cap. vlt. eius Libelli omnia à se antè dicta recapitulans, complectitur, dicens; „ De Domina nostra, „ quam in tantum culmen prædestinauit, & extulit „ Diuina Potentia, quam tot prærogatiuis dotauit „ cuncta disponens Dei Sapientia, quam Matrem „ sibi elegit ad Mundo subueniendum, ipsa omnium „ saluãdorum ineffabilis misericordia, dicere mor- „ te peccati, quæ per inuidiam Diaboli occupauit „ Orbem Terrarum, in suo Conceptu prægrauari, „ vt taceã interim ipsas, quas commemoraui ratio- „ nes, animus euitat, intentio abhorret, lingua fate- „ ri non audet. Qui aliter sapiunt, at meliùs appro- „ bant, credant, ego Pijssima Domina qualiscunque „ seruulus credo, & fateor, quòd Tu ex radice Iesse „ pulcherrima, & per hoc ab omni, quòd Te deco- „ loret, peccati vulnere aliena; integerrima perma- „ nens florem pretiosissimum protulisti.

Hunc Libellum esse germanum S. Anselmi fætum testantur Bacconius in 4. dist. 2. q. 4. artic. 1. Binarius in Anselmo Vindic. lib. 1. § 9. Nuperrimè huius Libelli tria priora capita in 3. Lectiones 2. Noctur. offic. Concept. diuisa hisce oculis ipsemet vidi, & legi in Breuiario Romano Antiquissimo Impresso Parisijs, ex officina Libraria Iolandæ Bonhomæ Viduæ Spectabilis Viri Tielmanni Reuèr in Vico S. Iacobi sub signo Vnicornis Anno Domini 1534.

Obic-

Obiecta contrà hunc Libellum sub nomine Cômentariorum soluta habes p.2. art.2. & 3.art. in 2. Probat.Conclus.

Tertiò S. Anselmus scripsit Epistolam ad Coepiscopos Angliæ de hoc Festo Marianæ Conceptionis celebrando, quam narrato miraculo de Maris tempestate sedata Virginis Immaculatæ patrocinio,ità conclusit. „ Et nos ergo Fratres Dilectis„ simi, si portum salutis volumus apprehēdere,Dei „ Genitricis Conceptionem dignis obsequijs , & „ officijs celebremus, vt ab eius Filio digna merce„ de remuneremur. Hanc Epistolam esse D.Ansel„ mi testantur MS. Codices antiqui quamplurimi „ asseruati in Bibliothecis Galliæ, & Angliæ, in Bi„ bliotheca S.Mariæ Vallicellensis Congreg. Orat. „ & in Breuiarijs antiquis Ecclesiæ Hyspalensis „ Seguntinæ,Cordubensis; ità referunt testes ocu„lati,quos vide apud Bitiarium vbi suprà.

Quartò D. Anselmi est sermo habitus in die Festo Conceptionis,qui incipit. *Hodierna die*. vbi his verbis explicatissimis Immaculatā Conceptionem testatur.*O quanta est dies illa,qua nostræ Reparatricis Anima digna creatur,& sacratur, & Sanctissimo Corpori vnitur; non est verus amator Virginis, qui respuit colere diem Conceptionis.* Hunc sermonem haberi, & circumferri sub nomine Homiliæ,testantur Breuiaria Antiqua,maximè Segobiense, Codices Ms. antiqui asseruati in Bibliotheca Vallicell. Congreg.Orat.sub Tit.Tomus 10.Vitarum 55.fol. 298. demum nonnulli Theologi, vt Bacconus in 4. d.3.q.4.art.1.Bernardinus de Bustis sermon.6.& 8.

Ioan-

Ioannes Herolt,seù Discipulus Ord.Domin. in ser. de Concept.

Quintò S. Anselmus Comm. In Epist. D. Pauli præcipuè in illud 2. ad Corinth. 2. *Si vnus pro omnibus mortuus est,ergò omnes mortui sunt*, ait. Omnes prorsus mortui sunt in Peccatis nullo prorsus excepto,dempta Matre Dei siuè Originalibus, siuè etiam voluntate additis vel ignorando,vel sciendo, nec faciendo, quod iustumest.Quæ verba adeò clara sunt,& aperta pro Immaculata,vt clariori explicatione non indigeant .

Aduersarij contendunt ex Bellarm. de Script. Eccles.verba hæc, & Comment. non esse D.Anselmi, sed Natalis Heruæi Ord.Domin. General.olim Magistri, & celeberrimi Teologi.

Benè, & optimè. Ergò in Ord.Domin.Antiqua Sententia est pro Immaculata ; & si qui Moderni eius Ord. Immaculatam oppugnant, transgrediuntur terminos , quos posuerunt Antiqui eorum PP. quod, An magis incommodet Ordini, quam nitidè fateri,ea Comm.esse D.Anselmi, ipsi iudicent.

11 ANTIPATRVS Episcop.Bostren.orat.de S. Ioanne Baptista ad illa verba Lucæ 1. Inuenisti Gratiam; pro Immaculata Conceptione sic ait. *Inuenisti Gratiam, quam perdidit , quę primum fuit creata fęmina ,illa sola suscepit deceptionem, Tu autem sola attulisti solutionem deceptionis.* & parùm à principio.*Quę est ista Virgo, quę visa est pręstantior cunctis potestatibus?*Quomòdo Virgo Beata pręstãtior visa est cunctis Potestatibus,si in momento suę Conceptionis , & Creationis infecta fuisset macula , à qua cunctæ Potestates fuerunt in momento crea-

creationis immunes. & si Virgo Beata inuenit Gratiam, quam Eua perdidit, vtique inuenit Gratiam primam sanctificantem, & præseruantem à macula originali, hanc enim Eua perdidit, nam si Euæ persuasione Adam non peccasset, conciperemur omnes in iustitia, & sanctitate originali præseruāte nos à peccato originali.

12 S. ANTIOCHVS Homil. 21. satis illustre dedit Immaculatæ Conceptionis testimonium, dicens. *Nulli possibile est ad suę Virtutis fastigium peruenire, nisi pręsidio iuuetur, & apud Deum Caritatis, & Animi de se quàm modestissimè sentientis iuxtà testimonium Deiparę omni laudum genere celeberrimę, nulli obnoxię vitio.* Sed B. Virginem nulli vitio fuisse obnoxiam, importat, non fuisse obnoxiā vitio originali, quod est fons, & origo vitiorum omnium, ergo ex mente D. Antiochi B. Virgo fuit immunis à Peccato Originali.

13 S. ANTONIVS de Padua serm. Feriæ 5. Dominicæ Passionis ad illa verba. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit, ità pro Immaculata pronunciat; Aduertendum, quòd hoc dictum Saluatoris solùm tenet de illis, qui ab huiusmodi debito fuerunt præseruati, sicut illi, qui fuerunt sanctificati in vtero, de quorum numero est B. Virgo; ergo B. Virgo est præseruata à debito; addito præsertim, quia in additione Parisiensi Anno 1641. in Marg. legitur. *B. Virgo est Pręseruata à debito,* At nomine debiti venit ibi Peccatum Originale, quod in phrasi Ecclesiæ in Hymno, *Exultet,* dicitur Adæ debitum. *Adę debitum soluens.* ergo B. Virgo ex mente S. An-

tonii de Padua est Præseruata à Peccato Originali. Similiter serm.2. Sabbati Dom.2. B. Virgo dicitur ideò fuisse à Christo Domino comparata Monti, quia fuit superius luminosa puritate, quam cùm Angelis participat; At B. Virgo non participaret cũ Angelis Puritatem, si Originali Impuritate fuisset fædata, & maculata. Ergo B. Virgo ex mente S. Antonii Paduani fuit Præseruata à Peccato Originali Alia loca pro Immaculata Conceptione adducuntur à Marracio in sua Fide Caietana, & ab Episcop. Acernensi in suo tract. quæ libens prætereo, nè ab aliis iam decantata, recantem. Et quidem Marracius meritò reijcit locum S. Antonii Paduani in ser. de Nat. contrà Immaculatam adductum à Caietano in Opusc. quia sermo S. Antonii de Natiuitate B. Virg. non reperitur in rerum natura.

14 S. ANTONINVS Archiepiscop. Florentinus Ordin. Dominic. 1.p. summ. pluribus locis pro Immunitate B. Virginis à Peccato Originali pronunciauit, & quidem omissis, quæ aliàs adduxi in Discursu Theol. pag. 14. num. 50. & pag. 26. nu. 93. S. Antoninus eadem 1.p. summæ tit. 8. c. 3. illa verba Prou. 8. *Nondum erant Abyssi, & ego iam concepta eram.* intelligit de B. Virgine concepta in mente Dei, antequam essent Creaturæ, ergò antequam esset Adæ Peccatum, quod posset à B. Virgine contrahi in sui Conceptione. & tit. 15. cap. 4. §. 1. „ Isto „ modo potest dicere Virgo Maria, in capite libri „ scriptum est de me, quia ab æterno præcognouit, „ & præordinauit Deus tempore suo concipiendã, „ & nascendam Virginem, quæ esset purior omnibus

„ bus puris Creaturis etiam Angelis. At quomodo purior Angelis B. Virgo, si peccasset in momento suæ Conceptionis, & Creationis, quandò Angeli in eodem illo momento fuerunt expertes peccati, & ditati sanctificante Gratia? & cap. 16. idem Sanctus ad illa verba, Gratia plena, explicat sic esse intelligendum. *Quia maioris Gratia capax non fuit pura Creatura*; & paucis interiectis. *Propterea Priuilegia Principum sunt latè interpretanda, cùm ergo Dominus Priuilegio suo, quod misit per Angelum dicat, Gratia plena, nullam specificando, est pro omnibus interpretandum.* Quòd si in B. Virgine non fuisset Gratia Præseruatiua, tale Priuilegiũ non posset latissimè intelligi pro omnibus Gratijs, vt intelligit S. Antoninus, ergo de eius mente debet poni in B. Virgine Gratia Præseruatiua à Peccato Originali. & cap. 20. §. 5. loquens de Priuilegiis B. Virginis ait. *Secundum Priuilegium Gratię singularis est impossibilitas peccandi*; & §. 3. Per 12. stellas cũ M. Alberto intelligit 12. Priuilegia, quorum primum est, quòd *Nunquam peccato maculatur.* Si B. Virgo ex S. Antonino nunquam Peccato maculatur, ergo neque in instanti, & momento suæ Cõceptionis. Et si in ea fuit impossibilitas peccandi, fuit in ea carẽtia Originalis in eius Conceptione, impossibilitas enim peccãdi oritur, & fluit tanquam Proprietas ab essentia, ex carẽtia Originalis in Conceptione, ideò enim Christus habuit impossibilitatem peccandi Grandior factus, quia Conceptus sinè Originali ex Regula D. Augustini lib. 5. contrà Iulianum c. 9.

Dices S. Antoninus 1.p. Summæ c.5.p.1. & aliis suæ Doctrinæ locis dicit; B. Virginem à Peccato Originali citiùs aliis fuisse mundatam, & fortè eadem Die, eadem Hora, & si non momento, ergò non fuit Præseruata ex mente D. Antonini.

Resp. D. Antoninum sese explicare, & declarare, quid nomine Peccati Originalis intelligat, à quo dicit, B. Virginem mundatam, nam loco citato c.1. docet; Peccatum Originale esse Priuationem Iustitiæ Originalis, idest, illius rectitudinis, qua Ratio Deo, Corpus Spiritui subdebatur; Verùm in præsenti Quæst. nomine Peccati Originalis venit Priuatio Gratiæ sanctificantis, vt dixi Parte 1. Art. 2. Si ergo velis, D. Antoninum admisisse in B. Virgine emundationem à Peccato Originali, idest, ab illa inrectitudine, & fomite peccati, quem fuisse ligatũ, & non extinctum in instanti Marianæ Conceptionis, satis probabiliter sustinent nonnulli Thomistæ cùm D. Thoma; esto? At nunquam, & nullibi inuenies, D. Antoninum dicentem, B. Virginem in illo instanti caruisse Gratia Sanctificante, & eam Præseruante à Peccato Originali.

15 S. ATHANASIVS Alexandrinus Episcopus Beatissimæ Virgini toto corde addictus, & planè deditus Immaculatam eius Conceptionem orthodoxorum memoriæ luculẽtissimo sermone trãsmisit; ait enim. *Idcircò Gratiâ plena cognominata est, eoquod adimpletione Spiritus Sancti omnibus Gratijs abundaret, & Virtute Altissimi obumbraretur, quam virtutem per omnia tempora etiam Conceptus habuisse confido, neque enim id temporaneum*

in

in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse. Si per omnia tempora ex mẽte D. Athanasii omnibus Gratiis abundauit, ergò etiam tempore suæ Conceptionis passiuæ, non ergo tunc fuit infecta Originali, quod est cum Gratia incompossibile, ergo B. Virgo ex mente D. Athanasii fuit Præseruata à Peccato Originali, & nunquã fuit expers Gratiæ Originalis.

16 S. AVGVSTINVS Episcopus Hipponensis, & preclarissimus Ecclesiæ Doctor, cuius Auctoritas in hac materia de P. O. de qua decem Annos cum Pelagianis pugnauit teste Baronio ad Annum 418. maximi facienda est; & pluribus, & apertissimis latissimæ Doctrinæ suæ locis originariam Beatæ Virginis innocentiam contextatus est. Famigeratissimam illam, & vulgatissimam Augustini Sententiam iam olim à Ioannis Scoti tempore decantatam nolo in primis prætererire, ne videar ignorare; Libro igitur de nat. & Grat. c. 36. enumeratis quãplurimis, quos dicebat Pelagius non solùm non peccasse, sed etiam iustè vixisse, ait: „ Excepta itaque S. Virgine Maria, de qua propter honorem „ Domini, nullam prorsus cum de Peccatis agitur, „ habere volo Quæstionẽ, indè enim scimus, quòd „ ei plus Gratiæ collatum fuerit ad vincendũ omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere „ meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum; hac igitur Virgine excepta, si omnes illos „ Sanctos, & Sanctas cum hìc viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine „ peccato, quid fuisse responsuros putamus, vtrùm hoc

„ hoc, quod iste dicit, an quod Ioann. Apostolus; *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Quæ Sententia pro Immaculata tàm pluribus, iisque accuratissimis Auctorum magni nominis, & famæ ponderationibus aucta est, & facta robustior, vt omninò superfluum videatur, earum repetitione Tractatum meum locupletare; sufficiat commune effugium Aduersar. præcludere, qui volunt D. Augustinum hìc loqui de peccato actuali, non originali.

Contrà enim primò est quia; si D. Augustinus loqueretur hìc de Pecc. Orig. iunxisset tādem dexteram cum Pelagianis negantibus Peccatum Orig. in Paruulis, & cùm iisdem decem annos prorsus inaniter pugnasset, nam Pelagiani (vt refert D. Tho. in epist. Pauli ad illa verba, Peccatum trāsiit in omnes ad Rom. 5.) loca omnia ex Scripturis petita ab Augustino ad probandum Originale in Paruulis, facilè soluebant, explicando de peccato actuali; si ergò ipsemet Augustinus vrgens Pelagianos in hac materia de Peccato Originali, intelligendus esset de peccato actuali, nulla fuisset, & prorsus inanis pugna Pelagianos inter, & Augustinum, qui reipsa ab illis non dissentiret; ergo D. Augustinus ibi non potest non intelligi de Pecc. Orig.

Contrà Secundò est quia; D. Augustinus bis excipit, seù repetit exceptionem B. Virginis à peccato, ergò B. Virgo debet intelligi excepta nedum ab actuali, sed etiam ad originali peccato, quia repetitio eiusdem vocis vim aliquam habet, & exagera-

gera-

gerationem, qua extrahitur Vox illa ad comprehē-dendos Casus, qui non comprehenderentur, si semel vox illa poneretur, aliàs ea repetitio esset inanis, superflua, & inutilis l. si stipulatus, ff. de vsur. l. Callista, ff. ad S.C. Trebell. Bald. cons. 174. n. 1. Vol. 5. & alii plures in leg. cit.

Contrà Tertiò quia: ex D. Thoma in 3. d. 3. q. 1. art. 2. in argum. sed con. Corruptio fomitis est causa, quare dicere non possumus, peccatum non habemus, ergò cùm Augustinus ibi dicat, Sanctos nō esse dicturos, peccatum non habemus, absque dubio loquitur ibi de corruptione fomitis, quæ vel est effectus inseparabilis ab originali, vel est pars essentialis eiusdem inadæquatè constitutiua, ergò D. Augustinus ibi non potest non loqui de peccato originali.

Contrà Quartò; quia D. Augustinus ibi ait, quòd omnes Sancti, nisi velint seipsos seducere, & si velint veritatem fateri; interrogati, sunt responsuri, se habere peccatum; sed Innocentes nō possunt verè dicere, se habuisse peccatum actuale, cuius sunt propter ætatem incapaces, ergò respondēdo, se habere peccatum, intelligendi sunt de peccato originali, quod verè in ijs est.

Secundus D. Augustini locus prò Immaculata habetur ex Libro de Fide ad Petrum, vbi Augustinus habet. „ Quem Pater genuit ex æternitate, „ ipsum Virgo conceptum protulit, illa vtiq; Vir- „ go, quam Deus, qui de ea erat nasciturus, singu- „ lari gratiæ præuenit, atque repleuit, & ipsum ha- „ bet ventris sui fructum, quem in vnitate paternæ

sub-

„ ſubſtantiæ & humana, & Angelica natura co-
„ gnoſcit,& adorat Altiſſimum. At quæ ſingularis
gratia fuiſſet in Maria, niſi habuiſſet Gratiam Præ-
ſeruatiuam? nam Gratia Sanctificatiua in vtero
communis eſt alijs Sanctis, Ioanni Baptiſtæ, Hiere-
miæ, quos etiam fuiſſe ſanctificatos ſtatim poſt pri
mum inſtans, (vt Aduerſarij dicunt de B. Virgine)
poteſt ſatis probabiliter ſuſtineri, cum nulla ratio
conuincens, Scriptura, aut traditio afferri poſſit in
contrarium.

Tertius Auguſtini locus petitur ex Libro de
Symbol.expoſit.& Domin.orat.vbi ait Auguſtinus.
„ Secundum fidem SS.Scripturarum Maria Virgo
„ ſinè virili ſemine concepit Deum, quia qui ve-
„ nerat abolere malum originale, quod trahimus
„ omnes nati ex commixtione maris, & fœminę,
„ conueniens erat, vt lege peccati noſtri, quæ per
„ duorum concubitum verificatur in prole, Dei
„ Mater non teneretur obnoxia. Et ſanè quæ eſt
iſta Lex peccati noſtri, qua conueniens eſt, non te-
neri obnoxiam Dei Matrem, niſi Lex Peccati Ori-
ginalis? Porrò licet hæc Auguſtini verba in Nouiſſi-
mis Impreſſionibus non reperiantur, reperiuntur
tamen in Auguſtini Millenario à Fr. Vmberto de
Caſali Ord.Erem. elaborato.

Quartus locus ſumitur ex ſerm.20. ad F.de Ere-
mo vbi habet D. Auguſtinus „ Quia verò à cor-
„ ruptione liberandum erat, quia remedium, idcir-
„ cò pretium Redemptionis incorruptum eſſe de-
„ buerat, propterea Maria Mater electa eſt, & ſu-
„ per omnes Creaturas prędelecta, omnibus gratiis
fœ-

„ fœcundatâ, omni virtute, & sanctitate in vtero
„ repleta, vt de mundissima Matre mundissimus
„ Filius nasceretur; & sicut in Cœlo Filius habuit
„ Patrem immortalem, & æternum, sic in terra ha-
„ beret Matrem omni corruptione carentem. Qui-
bus verbis terque quaterque B. Virginem prædica-
ri à Pecc. Orig. liberam, & immunem, ostendi in di-
scursu Theologico fol. 30.

Quintus locus sumitur ex Lib. 5. cont. Iul. cap. nono vbi ait. „ Omninò verisimile est, quòd quia
„ Christus non fecit peccatum, habere nō potuit;
„ profectò in: etiam Maior fecisset, si Paruulus ha-
„ buisset; nam propterea nullus est Hominum præ-
„ ter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris
„ ætatis accessu; quia nullus est Hominum præter
„ ipsum, qui peccatum nō habuerit infantilis æta-
„ tis exortu. Sed B. Virgo nullum habuit peccatū actuale, vt est de Fide, ergò caruit Peccato Originali infantilis ætatis exortu, idest, in sui Cōceptione, quia per, Tò exortu, non potest intelligere Natiuitatem, quia in Natiuitate alij præter Christum caruerunt Originali.

Sextus locus sumitur ex Libro de Assumpt. B. Virg. qui incipit Ad Interrogata. Nam viuente, & scribente Augustino, par Controuersia, quæ ventilatur de B. Virginis Præseruatione, agitata est olim de Virginei Corporis Incineratione; vtrobique par militat Difficultas, quia sicut habemus in Scripturis generales locutiones de Pecc. Orig. contractione, ità habemus generales locutiones de humanorum corporum in cineres resolutione; Et sicut ad hono-

rem Virginis, & Filij ſpectat, Corpus Virgineum fuiſſe incineratum, ità ad honorem Virginis, & Filij ſpectat, Animã B. Virginis fuiſſe à Peccato Originali Præſeruatam.

Affirmabat S.Hieronymus, Corpus B.Virginis fuiſſe in cineres reſolutum : Negabat S. Auguſtinus. Vterque habebat propriæ Sententiæ Aſſeclas, & Sectatores. Vtrinque, diù agitata Controuerſia eſt: Præualuit tandem Negatiua, & Pia D. Auguſtini Sententia.

Verùm D. Auguſtinus pondera, & momenta Rationũ pro Virginei corporis incineratione fundabat in vnitate quadam carnis Virgineæ cum carne Chriſti, in Dignitate Maternitatis; in eo, quòd fuerit Habitaculum Diuinitatis; denique in perpetua Integritate iuncta cum ineffabili Fæcunditate; quæ omnia militare pro Animæ B. Virginis à Peccato Originali Præſeruatione, qui non videt, cæcutit in Sole; quia æquè (nè dicam magis) inhonorificum eſt, quòd ea, quæ eſt vna caro cum Chriſto, quæ eſt Mater Dei, quæ eſt habitaculum Diuinitatis, quæ fuit perpetuò integra, & fæcunda, iacuerit per multa Annorum millia in Sepulchro, ac quòd fuerit vel in minima morula fædata Peccato Originali, ergò ſicut ex mente D. Auguſtini Corpus B. Virginis non fuit in cineres reſolutum, ità nunquã eius Anima fuit Peccato Originali maculata.

Deſideraret fortaſſe quiſpiam hic, vt omnes, & ſingulas Rationes adductas ab Auguſtino pro Virginea Incineratione, ſpeciatim, & ſingillatim Marianæ Præſeruationi aptarem, & applicarem,

ſed

sed quia olim Ioannes Contreras Segobiens. in suo tract. de hac materia pro Relatione facięda corā PP. Concil. Basiliens. hoc ipsum exactissimè præstitit, nè actum agā, libens prætereo. Tract. manus. Ioannis Contreras se vidisse, refert Petrus de Alua in suo Sole verit. fol. 227. & non negat ex Aduersarijs Turrecremata, seù Spina in suo tract. de verit. Conceptionis par. 6. vbi conatur, processum earum Rationum dissoluere; sed frustrà, vt solidè Theologizanti patet.

B

17 S. BASILIVS Magnus Cæsareæ Episcopus relatus in Officio Immaculatę Cōceptionis ordinato à Francisco Card. Quignonio, quod fuit approbatum à Clemente Papa VII. habet pro Immaculata Conceptione aurea hęc verba. „ O Maria Tu Candoris, & Decoris Forma, cui „ in Terris non est æqualis , nec in Cœlis ianua; Sed in tantum B. Virgini nec in Terris, nec in Cœlis nulla alia Creatura est æqualis , in quantum habuit carentiam Peccati Originalis, & non per carētiam venialium , quia hanc Carentiam venialium de facto habuerunt Innocentes, Angeli, & habuissent Homines in statu puræ naturæ , vt suprà vidimus ex D. Thoma; imò licèt de facto, & regulariter ex vi Naturæ vera sit Doctrina S. Augustini, quòd qui carent actualibus, careant Originali , attamen satis probabile existimant Nonnulli; posse aliquem Conceptum in Originali , speciali Dei Priuilegio, & ex vi specialis Gratię carere venialibus per totam

vitam, tùm quia de S. Ioanne Baptista ità videtur sentire Ecclesia, quę de eo canit in Hymno, „ Ne „ leui saltem maculare vitam, famine posset. Tùm quia D. Augustinus lib. de Perfect. Iustitiæ cap. 7. & cap. vlt. profitetur, se non audere Sententiam reprehendere illorum, quibus visum est aliquos adiutos speciali gratia in hac vita posse esse sinè peccato. Vide Curiel. 12. q. 109. art. 8. dub. 2.

18 BEDA Venerabilis in suo Martyrologio Anglicano, quod habetur inter eius Opera impressa Basileæ Anno 1564. tom. 3. recenset Festum Immaculatæ Conceptionis Marianæ, ergo cùm ex dictis non celebretur Festum, nisi de Sanctis; Beda, qui Conceptionis Marianæ Festum recenset inter alia Festa, Sanctam putat Conceptionem B. Virg. & præseruatam à Peccato Originali.

Neque obstant verba eiusdem Bedæ Hom. super Missus est. „ Spiritus Sanctus superueniens in „ Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde „ castificauit, & ab omni æstu concupiscentiæ car- „ nalis cor eius temperauit, atque mundauit.

Nam, vt patet, loquitur hìc Bedà de B. Virgine tempore suæ Conceptionis actiuæ, quando etiam in Sentẽtia Aduersariorum expers fuit peccati nedum originalis, sed & actualis cuiuscunque; per sordem ergò vitiorum, & æstum carnalis concupiscentiæ non potest aliud intelligere, quàm Fomitẽ, quem fuisse in actiua Conceptione totaliter extinctum, & in Conceptione passiua tantummodò ligatum, probabilis est sententia D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 3. Nequicquam ergò obstant verba Bedæ

Ve-

Venerabilis loco citato Marianæ Præseruationi à Peccato Originali.

19 S. BERNARDVS Primus Archiepiscop. Toletanus haud obscura Marianæ Præseruationis testimonia reliquit; nam primò Festum Immaculatæ Conceptionis celebrari præcepit. Secundò sermon. 3. super Salue Regina, sic loquitur de Beata Virgine. *Turris es Libani, Libanus Mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat Innocentiã tuam; Innocens fuisti ab Originalibus, & actualibus Peccatis, nemo ità præter Te*; Non me latet hunc sermonem ab alijs attribui S. Bernardo Clareuallensi, sed siuè sit Bernardi Archiepiscopi, siuè Clareuallensis Abbatis, adducta verba pro Immaculata, eandem habent Auctoritatem, & pondus.

20 S. BERNARDVS Abbas Clareuallensis in Mariana Pietate feruentissimus, & nulli secundus, plura dedit Marianæ Præseruationis testimonia; & primum quidem licet desumere ex serm. 13. in Cœna Domini, vbi ait. *Non est in Filijs Hominum Magnus, vel paruus tanta preditus sanctitate, nec tantę Religionis priuilegiatus Honore, qui non in peccatis fuerit Conceptus preter Matrem Immaculati Agni peccatum non facientis, sed peccata Mundi tollentis, de qua cùm de Peccatis agitur, nullam volo habere Quęstionem*.

Secundum testimonium desumitur ex libr. 1. de Miseria Humana in medio, vbi ait S. Bernardus. *Virgo dicta est Hortus conclusus, quia ad eum deflorandum manus peccatoris nunquam introiuit*, Si nunquam manus peccatoris introiuit ad desloran-

dum

dum Hortum Virgineum, ergò manus peccatoris in instanti Conceptionis Marianæ non deflorauit, aut corrupit Beatam Virginem per Originale Peccatum, aliàs non verificaretur, manum peccatoris nunquam introisse ad deflorandum Hortum Virgineum.

Verùm neutrum sermonem esse D. Bernardi reclamant Aduersarij: Sed esto; si S. Bernardi vterque iste sermo non est, certè alterius Sancti, & Docti Viri partus erit, sanè digni, vt inter opera D. Bernardi sermo vterque recenseretur, & ideò allatæ sententiæ pro Immaculata eandem habent Auctoritatem, & pondus.

Age verũ ad indubitatos textus S. Bernardi accedamus: Is igitur serm. 1. de Circumcisione Domini ità loquitur pro Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Conceptione. *Ad quid Tibi Circumcisio est necessaria, qui Peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quòd ipse non feceris ętas manifestat; quòd non contraxeris, multò certiùs probat Patris Diuinitas, integritas Matris.* Quòd ergo Christus non contraxerit Originale probat integritas Matris, sed id nõ probat integritas Virginalis, quia per Aduersarios benè cohæret, B. Virginem fuisse perpetuò Virginem, & contraxisse Originale; ergò Christum non contraxisse Originale, probat integritas Originalis, quæ est Præseruatio à Peccato Originali.

Et quidem si licet hæc D. Bernardi verba peralia eiusdem Sancti confirmare, Audi idem omninò Argumentum Homil. 2. super Missus est. *Voluit*

ita

itaque esse Virginem, de qua Immaculata Immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Sicut ergo Christus procedit Immaculatus, seù concipitur sine Peccato Originali, non verò ab illo mundatus, ità procedit de Immaculata, idest, de Concepta sinè Peccato Originali, non verò de mūdata ab illo, aliàs D. Bernardus in breuissima Semiclausula verborum turpiter æquiuocasset, sumēs in duplici, & diuerso sensu vocem illam, *Immaculatus Immaculata.* Prætereà in eodem serm. ità loquitur. *Factor Hominum, vt Homo fieret, nasciturus de Homine talem sibi ex omnibus eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Sed Deum decet Matrem habere immunem à Peccato Originali, & illi non posse non placere Matrem ab Originali Præseruatam, non est dubitandum, ergò.

Deindè B. Bernardus serm. 2. de Assumpt. ad illa verba Apoc. Signum Magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, ait. *Nam & defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis, & corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omninò excedit, & supergreditur Creaturis, vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur.* Si omnis defectus, si omnis corruptio sub ea, ergò nōn fuit in ea Peccatum Originale, quod Humanæ Naturæ corruptio, & præcipuus, primusq; defectus est. Ibidē ad illa potissimum verba. Mulier amicta Sole. Candidissimus sanè, imò & calidissimus huius Mulieris amictus, cuius omnia tàm excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea

non

non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, & minus lucidum liceat suspicari, sed Tò *Obscurum*, seu minus lucidum, peccatum intelligi, est compertissimum, & indubitatum; ergò nullum peccatum, & per consequens nec Originale fas est suspicari in B. Virgine.

Neque his obstat. D. Bernardum Epist. 174. reprehendere Canonicos Lugdunenses de Celebratione Festi Conceptionis Marianæ, dicentē ibidem, Beatam Virginem Conceptam in Peccato Originali.

Nam Angelus Manriquez in Annal. Cisterciens. Anno 1141. cap. 8. num. 13. & Abbas Laurus Sagittarien. in vita B. Ioachim; Francis. Biuarius in S. Bernard. Vindic. apertè testantur, D. Bernardum loqui de Conceptione Seminali, non de Animatione, de qua est præsens Difficultas; sicut autem Thomistæ volunt sibi potiùs credi in assecutione, & intelligētia mentis D. Thomæ, quàm cuicunque alij, quia eiusdem Discipuli, & eiusdem Ordin. & Instituti; ità in assecutione mentis, & intelligentia B. Bernardi, qui fuit Ordin. Cisterciens. standum est Angelo Manriquez, Abbati Lauro, Francisco Biuario, quia eius Discipuli, & eiusdem Ordin. ac Instituti; Prætereà Turrecrematæ, seù veriùs Bartholomæo de Spina ex eo irrationabile videtur, quod dicitur de macula appicta D. Bernardo in pœnam, (vt fama est) Affirmatiuæ, quam tenuit, sē-tentiæ, quia res hęc est penitus ignota PP. sui Ordinis, ità part. 6. sui Tract. cap. 11. sed explicatio illa, quòd D. Bernardus in ea Epistola loquatur de Conceptio-

ceptione Seminali, non modo est nota, sed asserta à PP. Ordinis eiusdem, ergò est omninò rationabilis, & recipienda.

Denique eodem serm. super Signum Magnum &c. sic loquitur D. Bernardus pro Mariana Præseruatione. *Quid ergò Sydereum micat in generatione Marię? Planè quòd ex Regibus orta, quòd ex semine Abrahę, quòd generosa ex Styrpe Dauid. Si id parum videtur, adde, quòd generationi illi ob singulare Priuilegium Sãctitatis diuinitùs noscitur concessa, quòd longe antè ijsdem PP. cęlitùs repromissa, quod mysticis pręfigurata Miraculis, quod oraculis pronunciata Propheticis:* Et sanè singulare Priuilegium sãctitatis aliud esse non potest in generatione, seù Conceptione Mariæ, nisi Priuilegium sanctitatis præseruatiuæ, ergò.

21 S. BERNARDINVM Patria Senensem, Instituti Ord. Min. stetisse pro Immaculata, ostendunt Primò Patria, & Institutum, quod est professus, nam & Ordo Minorum, & Vrbs Senarum acerrimè pugnant pro Immaculata. Deindè Serm. 6. de Festiuit. B. M. V. qui habetur Tom. 4. fol. 121. art. 1. cap. 1. ad illud, *Aue*, ità loquitur. *Secundo etiam modo in Virgine per*, Aue, *Naturę excellentia denotatur, quia ab alio triplici V ę immunis fuit scilicèt, Cõcupiscentię, Culpę, &* Pœnę: *fuit enim B. Virgo sinè primo V ę, hoc est sinè tyranno Concupiscentię Peccati Originalis, quia sinè eo Concepta est, sicut teste Salomone didicimus Cant. 4. qui ait.* Tota pulchra es Amica mea, & macula, *scilicet Originalis Culpę*, nõ est in Te.

„ ſubſtantiæ & humana, & Angelica natura co-
„ gnoſcit,& adorat Altiſſimum. At quæ ſingularis gratia fuiſſet in Maria, niſi habuiſſet Gratiam Præſeruatiuam? nam Gratia Sanctificatiua in vtero communis eſt alijs Sanctis, Ioanni Baptiſtæ, Hieremiæ, quos etiam fuiſſe ſanctificatos ſtatim poſt primum inſtans, (vt Aduerſarij dicunt de B. Virgine) poteſt ſatis probabiliter ſuſtineri, cum nulla ratio conuincens, Scriptura, aut traditio afferri poſſit in contrarium.

Tertius Auguſtini locus petitur ex Libro de Symbol.expoſit.& Domin.orat.vbi ait Auguſtinus.
„ Secundum fidem SS.Scripturarum Maria Virgo
„ ſinè virili ſemine concepit Deum, quia qui ve-
„ nerat abolere malum originale, quod trahimus
„ omnes nati ex commixtione maris, & fœminę,
„ conueniens erat, vt lege peccati noſtri, quæ per
„ duorum concubitum verificatur in prole, Dei
„ Mater non teneretur obnoxia. Et ſanè quæ eſt iſta Lex peccati noſtri, qua conueniens eſt, non teneri obnoxiam Dei Matrem, niſi Lex Peccati Originalis? Porrò licet hæc Auguſtini verba in Nouiſſimis Impreſſionibus non reperiantur, reperiuntur tamen in Auguſtini Millenario à Fr. Vmberto de Caſali Ord Erem. elaborato.

Quartus locus ſumitur ex ſerm.20. ad F. de Eremo vbi habet D. Auguſtinus „ Quia verò à cor-
„ ruptione liberandum erat, quia remedium, idcir-
„ cò pretium Redemptionis incorruptum eſſe de-
„ buerat, propterea Maria Mater electa eſt, & ſu-
„ per omnes Creaturas prę electa, omnibus gratiis

fœ-

„ fœcundatá, omni virtute, & sanctitate in vtero
„ repleta, vt de mundissima Matre mundissimus
„ Filius nasceretur; & sicut in Cœlo Filius habuit
„ Patrem immortalem, & æternum, sic in terra ha-
„ beret Matrem omni corruptione carẽtem. Qui-
bus verbis terque quaterque B. Virginem prædica-
ri à Pecc. Orig. liberam, & immunem, ostendi in di-
scursu Theologico fol. 30.

Quintus locus sumitur ex Lib. 5. cont. Iul. cap. nono vbi ait. „ Omninò verisimile est, quòd quia
„ Christus non fecit peccatum, habere nõ potuit;
„ profectò n. etiam Maior fecisset, si Paruulus ha-
„ buisset, nam propterea nullus est Hominum præ-
„ ter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris
„ ætatis accessu; quia nullus est Hominum præter
„ ipsum, qui peccatum nõ habuerit infantilis ęta-
„ tis exortu. Sed B. Virgo nullum habuit peccatũ actuale, vt est de Fide, ergò caruit Peccato Originali infantilis ætatis exortu, idest, in sui Cõceptione, quia per, Tò exortu, non potest intelligere Natiuitatem, quia in Natiuitate alij præter Christum caruerunt Originali.

Sextus locus sumitur ex Libro de Assumpt. B. Virg. qui incipit Ad Interrogata. Nam viuente, & scribente Augustino, par Controuersia, quæ ventilatur de B. Virginis Præseruatione, agitata est olim de Virginei Corporis Incineratione; vtrobique par militat Difficultas, quia sicut habemus in Scripturis generales locutiones de Pecc. Orig. contractione, ità habemus generales locutiones de humanorum corporum in cineres resolutione; Et sicut ad hono-

rem Virginis, & Filij spectat, Corpus Virgineum fuisse incineratum, ità ad honorem Virginis, & Filij spectat, Animã B. Virginis fuisse à Peccato Originali Præseruatam.

Affirmabat S.Hieronymus, Corpus B.Virginis fuisse in cineres resolutum : Negabat S. Augustinus. Vterque habebat propriæ Sententiæ Asseclas, & Sectatores. Vtrinque, diù agitata Controuersia est: Præualuit tandem Negatiua, & Pia D. Augustini Sententia.

Verùm D. Augustinus pondera, & momenta Rationũ pro Virginei corporis incineratione fundabat in vnitate quadam carnis Virgineæ cum carne Christi, in Dignitate Maternitatis; in eo, quòd fuerit Habitaculum Diuinitatis; denique in perpetua Integritate iuncta cum ineffabili Fæcunditate; quæ omnia militare pro Animæ B. Virginis à Peccato Originali Præseruatione, qui non videt, cæcutit in Sole; quia æquè (nè dicam magis) inhonorificum est, quòd ea, quæ est vna caro cum Christo, quæ est Mater Dei, quæ est habitaculum Diuinitatis, quæ fuit perpetuò integra, & fæcunda, iacuerit per multa Annorum millia in Sepulchro, ac quòd fuerit vel in minima morula fædata Peccato Originali, ergò sicut ex mente D. Augustini Corpus B. Virginis non fuit in cineres resolutum, ità nunquã eius Anima fuit Peccato Originali maculata.

Desideraret fortasse quispiam hic, vt omnes, & singulas Rationes adductas ab Augustino pro Virginea Incineratione, speciatim, & singillatim Marianæ Præseruationi aptarem, & applicarem, sed

ſed quia olim Ioannes Contreras Segobienſ. in ſuo trāct. de hac materia pro Relatione faciēda corā PP. Concil. Baſilienſ. hoc ipſum exactiſſimè præſtitit, nè actum agā, libens prætereo. Tract. manuſ. Ioannis Contreras ſe vidiſſe, refert Petrus de Alua in ſuo Sole verit. fol. 227. & non negat ex Aduerſarijs Turrecremata, ſeù Spina in ſuo tract. de verit. Conceptionis par. 6. vbi conatur, proceſſum earum Rationum diſſoluere; ſed fruſtrà, vt ſolidè Theologizanti patet.

B

17 S. BASILIVS Magnus Cæſareæ Epiſcopus relatus in Officio Immaculatę Cōceptionis ordinato à Franciſco Card. Quignonio, quod fuit approbatum à Clemente Papa VII. habet pro Immaculata Conceptione aurea hęc verba.
„ O Maria Tu Candoris, & Decoris Forma, cui
„ in Terris non eſt æqualis, nec in Cœlis ianua; Sed in tantum B. Virgini nec in Terris, nec in Cœlis nulla alia Creatura eſt æqualis, in quantum habuit carentiam Peccati Originalis, & non per carētiam venialium, quia hanc Carentiam venialium de facto habuerunt Innocentes, Angeli, & habuiſſent Homines in ſtatu puræ naturæ, vt ſuprà vidimus ex D. Thoma; imò licèt de facto, & regulariter ex vi Naturæ vera ſit Doctrina S. Auguſtini, quòd qui carent actualibus, careant Originali, attamen ſatis probabile exiſtimant Nonnulli; poſse aliquem Conceptum in Originali, ſpeciali Dei Priuilegio, & ex vi ſpecialis Gratię carere venialibus per totam

vitam, tùm quia de S. Ioanne Baptista ità videtur sentire Ecclesia, quę de eó canit in Hymno, „ Ne „ leui saltem maculare vitam, famine posset. Tùm quia D. Augustinus lib. de Perfect. Iustitiæ cap. 7. & cap. vlt. profitetur, se non audere Sententiam reprehendere illorum, quibus visum est aliquos adiutos speciali gratia in hac vita posse esse sinè peccato. Vide Curiel. 12. q. 109. art. 8. dub. 2.

18 BEDA Venerabilis in suo Martyrologio Anglicano, quod habetur inter eius Opera impressa Basileæ Anno 1564. tom. 3. recenset Festum Immaculatæ Conceptionis Marianæ, ergo cùm ex dictis non celebretur Festum, nisi de Sanctis; Beda, qui Conceptionis Marianæ Festum recenset inter alia Festa, Sanctam putat Conceptionem B. Virg. & præseruatam à Peccato Originali.

Neque obstant verba eiusdem Bedæ Hom. super Missus est. „ Spiritus Sanctus superueniens in „ Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde „ castificauit, & ab omni æstu concupiscentiæ car„ nalis cor eius temperauit, atque mundauit.

Nam, vt patet, loquitur hìc Beda de B. Virgine tempore suæ Conceptionis actiuæ, quando etiam in Sentētia Aduersariorum expers fuit peccati nedum originalis, sed & actualis cuiuscunque; per sordem ergò vitiorum, & æstum carnalis concupiscentiæ non potest aliud intelligere, quàm Fomitē, quem fuisse in actiua Conceptione totaliter extinctum, & in Conceptione passiua tantummodò ligatum, probabilis est sententia D. Thomæ 3. p. q. 27. art. 3. Nequicquam ergò obstant verba Bedæ Ve-

Venerabilis loco citato Marianæ Præseruationi à Peccato Originali.

19 S. BERNARDVS Primus Archiepiscopus Toletanus haud obscura Marianæ Præseruationis testimonia reliquit; nam primò Festum Immaculatæ Conceptionis celebrari præcepit. Secundò serm. 3. super Salue Regina, sic loquitur de Beata Virgine. *Turris es Libani, Libanus Mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat Innocentiã tuam; Innocens fuisti ab Originalibus, & actualibus Peccatis, nemo ità præter Te*; Non me latet hunc sermonem ab alijs attribui S. Bernardo Claræuallensi, sed siuè sit Bernardi Archiepiscopi, siuè Claræuallensis Abbatis, adducta verba pro Immaculata, eandem habent Auctoritatem, & pondus.

20 S. BERNARDVS Abbas Claræuallensis in Mariana Pietate feruentissimus, & nulli secundus, plura dedit Marianæ Præseruationis testimonia; & primum quidem licet desumere ex serm. 13. in Cœna Domini, vbi ait. *Non est in Filijs Hominum Magnus, vel paruus tanta præditus sanctitate, nec tantę Religionis priuilegiatus Honore, qui non in peccatis fuerit Conçeptus pręter Matrem Immaculati Agni peccatum non facientis, sed peccata Mundi tollentis, de qua cùm de Peccatis agitur, nullam volo habere Quęstionem.*

Secundum testimonium desumitur ex libr. 1. de Miseria Humana in medio, vbi ait S. Bernardus. *Virgo dicta est Hortus conclusus, quia ad eum deflorandum manus peccatoris nunquam introiuit*, Si nunquam manus peccatoris introiuit ad defloran-

dum

dum Hortum Virgineum, ergò manus peccatoris in inſtanti Conceptionis Marianæ non defloranit, aut corrupit Beatam Virginem per Originale Peccatum, aliàs non verificaretur, manum peccatoris nunquam introiſſe ad deflorandum Hortum Virgineum.

Verùm neutrum ſermonem eſſe D. Bernardi reclamant Aduerſarij: Sed eſto; ſi S. Bernardi vterque iſte ſermo non eſt, certè alterius Sancti, & Docti Viri partus erit, ſanè digni, vt inter opera D. Bernardi ſermo vterque recenſeretur, & ideò allatæ ſententiæ pro Immaculata eandem habent Auctoritatem, & pondus.

Age verũ ad indubitatos textus S. Bernardi accedamus: Is igitur ſerm. 1. de Circumciſione Domini ità loquitur pro Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Conceptione. *Ad quid Tibi Circumciſio eſt neceſſaria, qui Peccatum non commiſiſti, nec contraxiſti? Quòd ipſe non feceris ętas manifeſtat; quòd non contraxeris, multò certiùs probat Patris Diuinitas, integritas Matris.* Quòd ergo Chriſtus non contraxerit Originale probat integritas Matris, ſed id nõ probat integritas Virginalis, quia per Aduerſarios benè cohæret, B. Virginem fuiſſe perpetuò Virginem, & contraxiſſe Originale; ergò Chriſtum non contraxiſſe Originale, probat integritas Originalis, quæ eſt Præſeruatio à Peccato Originali:

Et quidem ſi licet hæc D. Bernardi verba per alia eiuſdem Sancti confirmare, Audi idem omninò Argumentum Homil. 2. ſuper Miſſus eſt. *Voluit*

ita

itaque esse Virginem, de qua Immaculata Immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Sicut ergo Christus procedit Immaculatus, seù concipitur sine Peccato Originali, non verò ab illo mundatus, ità procedit de Immaculata, idest, de Concepta sinè Peccato Originali, non verò de mũdata ab illo, aliàs D. Bernardus in breuissima Semiclausula verborum turpiter æquiuocasset, sumẽs in duplici, & diuerso sensu vocem illam, *Immaculatus Immaculata.* Prætereà in eodem serm. ità loquitur. *Factor Hominum, vt Homo fieret, nasciturus de Homine talem sibi ex omnibus eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Sed Deum decet Matrem habere immunem à Peccato Originali, & illi non posse non placere Matrem ab Originali Præseruatam, non est dubitandum, ergò.

Deindè B. Bernardus serm. 2. de Assumpt. ad illa verba Apoc. Signum Magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, ait. *Nam & defectus omnis sub ea, & quicquid fragilitatis, & corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prę cęteris omninò excedit, & supergreditur Creaturis, vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur.* Si omnis defectus, si omnis corruptio sub ea, ergò non fuit in ea Peccatum Originale, quod Humanæ Naturæ corruptio, & præcipuus, primusq; defectus est. Ibidẽ ad illa potissimum verba. Mulier amicta Sole. Candidissimus sanè, imò & calidissimus huius Mulieris amictus, cuius omnia tàm excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea

non

ceptione Seminali, non modò est nota, sed asserta à PP. Ordinis eiusdem, ergò est omninò rationabilis, & recipienda.

Denique eodem serm. super Signum Magnum &c. sic loquitur D. Bernardus pro Mariana Præseruatione. *Quid ergò Sydereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex Regibus orta, quòd ex semine Abrahę, quòd generosa ex Styrpe Dauid. Si id parum videtur, adde, quòd generationi illi ob singulare Priuilegium Sãctitatis diuinitùs noscitur concessa, quòd longe antè ijsdem PP. cęlitùs repromissa, quod mysticis prefigurata Miraculis, quod oraculis pronunciata Propheticis*: Et sanè singulare Priuilegium sãctitatis aliud esse non potest in generatione, seù Conceptione Mariæ, nisi Priuilegium sanctitatis præseruatiuæ, ergò.

21 S. BERNARDINVM Patria Senensem, Instituti Ord. Min. stetisse pro Immaculata, ostendunt Primò Patria, & Institutum, quod est professus, nam & Ordo Minorum, & Vrbs Senarum acerrimè pugnant pro Immaculata. Deindè Serm. 6. de Festiuit. B.M.V. qui habetur Tom. 4. fol. 121. art. 1. cap. 1. ad illud, *Aue*, ità loquitur. *Secundo etiam modo in Virgine per*, Aue, *Naturę excellentia denotatur, quia ab alio triplici Vę immunis fuit scilicèt, Cõcupiscentię, Culpę, & Pœnę; fuit enim B. Virgo sinè primo Vę, hoc est sinè tyranno Concupiscentię Peccati Originalis, quia sinè eo Concepta est, sicut teste Salomone didicimus Cant. 4. qui ait.* Tota pulchra es Amica mea, & macula, *scilicet Originalis Culpę*, nõ est in Te.

Prętereà Tomo tertio Serm.Fer.3. poſt Paſcha fol.427. explicans illud, Inter Natos Mulierum nō ſurrexit Maior Ioanne Baptiſta,hæc habet. *Dicere, quod inter Natos Mulierū non ſurrexit Maior Ioanne Baptiſta, vult dicere, quod B. Ioannis Baptiſtę Anima ſit maior omnibus animabus natis ex muliere; & Chriſtus cauet ſe extrà,& Virginem glorioſam occultè,ſi benè aduertis ſuum eloquium,quia dixit, non ſurrexit,quia nullus dicitur leuare, ſeù ſurgere, qui nō ceciderit in aliquo Peccato Cōceptionis,nec actualis;& ſimiliter B.V.ideo non ſunt in illa regula,quia non ceciderunt modo iam dicto.*

Demùm S. Bernardinus Tract. integrum compoſuit pro Immaculata; quē ſe vidiſſe Senis ſcriptum propria manu S.Bernardini,refert Bernardinus de Buſto Serm.4. de Concep. p.3. fol.47. & teſtem adducit Bernardinum de Caimis. Plura alia Bernardini loca pro Immaculata Vide apud Aluam in Sole veritatis verit.43.

22 S. BONAVENTVRA S.R.E.Cardinalis, & Epiſcopus Albanus,Doctor Eccleſiæ præclariſſimus & plura, & ſatis dilucida reliquit pro Immaculata teſtimonia; nam

Primò Serm.1.de B.Virg.ità loquitur. „ Domina noſtra tota fuit Puriſſima omni carens penitùs macula tàm in Corpore, quàm in Anima, vndè ipſi ſoli conuenit illud; Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in Te, in quo notat, eam nullam maculam admiſiſſe, vt ſic fuerit ſummè pulchra per omnis boni pręſentiam,& fuerit abſque macula per omnis mali abſentiam.At ſi fuiſ-

ſet

set inquinata Originali, non fuisset tota pulchra, nō habuisset præsentiam omnis boni, nec absentiam omnis mali, ergò ex mente D. Bonauenturæ dicendum est, quòd B. Virgo fuit præseruata à Peccato Originali.

Secundò in Sermone 2. de B. Virgine ait. „ Dico primò, quòd Domina nostra fuit plenà gratia „ præueniente in sua sanctificatione, Gratia, scilicèt, Præseruatiua contrà fœditatem Originalis „ Culpæ, quam contraxisset ex corruptione natu„ræ, nisi speciali gratia præseruata, præuentaque „ fuisset. Quid clariùs dici poterat à D. Bonauentura pro Immaculata? Frustrà hìc reclamant Aduersarij; Hunc Sermonem non esse D. Bonauenturæ; Nā stylus, seù phrasis D. Bonauenturæ, & Auctoritas Sixti V. qui D. Bonauenturæ Opera recognoscenda curauit summo studio, eum Sermonem esse Diui Bonauenturæ germanum opus, euincunt.

Tertiò in Psalterio Minori de B. Virg. ita canit. „ Aue Virgo recti cordis, Nec vllius vnquam sor„ dis Inquinata fœditate Donō Prolis illibatæ.

Si nunquam, si nullius sordis inquinata est fœditate, ergò B. Virgo in momento suæ Conceptionis non fuit inquinata originali fœditate.

Quartò in speculo B. Virginis c. 1. ait. „ Quàm „ purissima per carentiam culpæ fuerit Maria, be„ nè innuitur, cùm dicitur, Aue, rectè namque ei „ dicitur, Aue, quę ab omni Væ culpæ immunissi„ ma fuit; sic vtique decuit Matrem Dei Anselmo „ teste, qui ait. Decuit &c. Si B. Virgo non fuisset immunis ab Originali, sinè dubio nō fuisset immunissima ab omni culpa.

Quintò

Quintò in Discursu de Compassione ait. *Mater carens contagio, dulci priuatur Filio*; Sed Beatam Virginem carere contagio, est carere Peccato Originali in sui Conceptione, quando solet Peccatum Originale contrahi, & ex alia parte nomine contagij venire peccatum Originale docet S. Augustinus lib.3. contra Iulianum c.15.

Sextò in Opusc.Med. Fer.2. ad Nonam ait.

Marię mirabilem Conceptionem sine inquinatione

Marię mirabilem educationem in Templo educationem.

Demùm S.Bonauentura Auctor fuit, vt in Capitulo Generali Fr.Minor. Pisis coacto Anno Domini 1263. die 20. Maij hæ Festiuitates celebrarētur, videlicèt Conceptionis, Natiuitatis B. Virginis, & B.Annę, ità referunt Vuadingus tom.2. in Vrbano VI. Artic.2. fol.262. num.16. & Michael Angelus in Chronol.in 12. Cap.Gen.sed in Sententia Diui Bonauenturæ in 3. d.3. q.2. Statuta de celebritatibus Sanctorum fundata sunt super Sanctitate, ergò si non existimasset, Conceptionem B. Virginis fuisse Sanctam, eius Festum celebrandum minimè decreuisset.

Neque his obstat; quòd Diuus Bonauentura in dixerit 3.d.3.q.1. relata vtraque opinione, quòd opinio illa, quæ tenet, B. Virginem Conceptam in Peccato Originali, sit *Communior, Rationabilior, et Securior*, nam ibi D. Bonauentura loquitur de Conceptione Seminali, de qua non esse celebrandum Festum, quia capax non est Gratiæ, sustinuit cum B.Bernar-

do

dò, & Doctoribus Parisiensibus S. Bonauentura, nec vllo modo ibi loquitur de Animatione, de qua estpræsens Difficultas. Verùm in Sermonibus suis & aliis locis supracitatis, quàm expresè Marianam Preseruationem depredicauerit, cuiuis mediocriter erudito, & pio patet apertissimè. Deindè textum Bonauenturæ fuisse deprauatum, atque corruptum, ostendit eruditiss. Pater Alua in suo Sole verit. fol. 365. verit. 49.

23 S. BRIGITTA in suis Reuelat. lib. 6. c. 49. illustre dedit Marianę Conceptionis testimonium, ibi enim introducitur B. Virgo ad B. Brigittam sic allocuta. „ Veritas est, quòd ego Concepta fui „ sinè peccato, & non in peccato; & Lib. 5. Reuelat. 13. in fine ità loquitur S. Brigitta. „ B. Virgo „ fuit tota pulchra, quia tanta immunditia non in- „ ueniebatur in ea, vbi cuspis acus infigeretur. Et Lib. 6. cap. 9. iterum introducitur B. Virgo sic allocuta. „ Facto autem Corpore meo, Deus à Diui- „ nitate Animam meam infudit Corpori; & mox „ Anima cùm corpore Sanctificata est, quam An- „ geli custodiebant, & seruabant die, ac nocte; Et Lib. 6. cap. 55. „ Hora, in qua ego Concepta fui, „ benè potest vocari aurea Hora, & pretiosa, quia „ alij coniuges conueniũt ex voluptate carnali, mei „ verò Parentes conuenerunt ex Obedientia, & „ præcepto Dei. Demùm in fine huius Cap. ità concludit; „ Sic placuit Deo, quòd Amici sui piè „ dubitarẽt de Conceptione mea, vt quilibet ostẽ- „ deret Zelum suum, donec Veritas clarescеret in „ tempore præordinato.

24 S. BRVNO Carthuſianorum Fundator Academiæ olim Pariſienſis Magiſter, & Doctor eximius Vrbani Papæ II. Præceptor, & turbulentiſſimis illis Eccleſiæ temporibus, aliquot annis ei à Conſiliis, inſigne dedit Marianæ Conceptionis teſtimonium explicatione in Pſalm. 101. his verbis „ Hæc eſt illa Terra benedicta, cui benedixit Do- „ minus, ab omni propterea contagione Peccati „ libera, per quam Vitæ viam agnouimus, & pro- „ miſſam veritatem accepimus: vbi nomine, contagionis peccati venire originale non eſt dubitandum, vt patet ex D. Auguſtino lib. 3. contrà Iulianũ. Verum Bruno Sanctiſſimus, non ſolùm adductum protulit teſtimonium, ſed etiam eam Pietatem in Inſtituti à ſe Ordinis Aſſeclis, & Profeſſoribus tàm altè inſeruit, vt cum Brunonem produco, lectiſſimã ſimul manum Virorum probitate vitæ, & Doctrina toto Orbe Chriſtiano celeberrimorum educo, qui ergà Marianam Præſeruationem tenerrimo rapiũtur affectu, obſequio, Religione.

25 S. BRVNO Epiſcopus Signiẽſis plura pro Mariana Præſeruatione auctoramenta reliquit, primò enim explicat, in Pſalm. 44. ad illa verba. Aſti- „ ſtit Regina à dextris tuis, de B. Virgine ſic loquitur. „ Hæc autem ſtetit à dextris Dei, quia ipſa plus, „ quàm omne creatum honoratur à Deo; Sed qua ratione verificari vnquam poſſet, B. Virginem pluſquam omne creatum honorari à Deo, ſi eſſet dehonorata per Peccatum Originale in ſui Conceptione, & Creatione, quando primi Parentes, & Angeli creati ſunt in Honore Gratiæ, & expertes peccati?

Se-

Secundò Homil. 2. in Aduent. Dom. ad illa verba Lucæ 1. Aue Gratia plena, ſic ait: „ Sed quis vn-
„ quam tantam gratiam habuit, quantam Virgo
„ Maria, alijs enim ad menſuram gratia datur, hæc
„ autem plena gratia dicitur; Et paucis interiectis.
„ Hæc autem ſola inter omnes mulieres benedi-
„ citur, quæ adhùc ſub antiquæ præuaricationis,
„ maledictione tenebatur, ex quo primæ mulieri
„ à Deo dictũ fuerat, multiplicabo ęrumnas tuas,
„ & in dolore paries filios, hac enim lege non te-
„ neretur Virgo Maria, quæ Virgo concepit, Vir-
„ go peperit, & ſinè dolore pariens, Virginitatis
„ gloriam non amiſit. Porrò ſi B. Virgo habuiſſet ſolummodò Gratiam Sanctificatiuam, data eſſet illi Gratia ad menſuram, & tantam gratiam habuiſſet, quantam habuerunt alij in vtero ſanctificati: & ſi B. Virgo exempta eſt à dolore partus, ergò nõ caruit Iuſtitia Originali, cuius donum, ſeù effectus eſt, parere ſinè dolore.

C

26 S. CAROLVS Borromæus S.R.E. Cardin. & ArchiepiſcopusMediolanenſis pro Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione, diploma edidit: Concionatoribus præcepit, vt in enunciando Verbo Dei Conſtitutiones Sixti IV. & Pij V. Immaculatæ Conceptioni B. Virginis fauentiſſimas, inuictè obſeruarent.

27 S. CASIMIRVS Poloniæ Princeps B. Virginĩ addictiſſimus in Hymno ad Beatam Virginem

part.

part. 2. eius Præseruationem ab Originali hac strophe testatur.

„ Pulchra tota sinè nota cuiuscunq; maculæ.

Profectò B. Virgo non esset tota pulchra, si aliqua eius Pars, quæ est Conceptio, esset deturpata per Peccatum Originale, non esset sinè nota cuiuscunque maculæ, si esset cum nota maculæ Originalis. Sentit ergò S. Casimirus, B. Virginem fuisse præseruatam à Peccato Originali in sui Conceptione.

28 S. CYPRIANVS Carthaginēsis in Aphrica Episcop. Orat. in Natiuit. Christi Marianam Præseruationem his verbis expressit. „ Nihil in hac „ repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam „ expetiit pœnarum vsuram; non sustinebat Iu„ stitia, vt illud Vas electionis communibus lassa„ saretur iniuriis, quoniam pluribus à cæteris dif„ ferens, natura communicabat, non culpa. Et quidem si B. Virgo ex mente S. Cypriani erat à cæteris in pluribus differens, si natura communicabat, non culpa, non potuit non esse præseruata ab Originali, nam vt præseruata ab actuali, non fuisset à cæteris differens. Deindè si à communibus iniurijs, si ab vltione, & à pœnis fuit præseruata, ergò & præseruata fuit à Peccato Originali, cui vltio Diuina, communes iniuriæ, & pœnæ debentur.

29 S. COSMAS Hierosolimitanus Hymno 6. Marianam Præseruationem his potissimum verbis insinuauit. „ Pete à Filio tuo, & Deo meo dari „ remissiones, quæ feci, malorum sola sancta, sola „ benedicta; At non esset sola sancta, sola bene

dicta

dicta, nisi habuisset sanctitatem, & benedictionem præseruatiuam, quia alia quæcunque sanctitas, & benedictio reperitur in aliis Sanctis.

30 S. CYRILLVS Alexandrinus lib. Apolog. contra Nestorium Marianam Præseruationem his verbis non obscurè significauit. „ Post Filium te- „ merarium est ponere in Maria aliquam Culpã, „ vel Peccatum. Ergò ex mente S. Cyrilli, non fuit in Maria aliqua culpa, nõ ergò fuit Culpa Originalis. Non me latet, hæc verba minimè reperiri in nouissimis Codicibus S. Cyrilli; sed ea leguntur tãquam Cyrilli in antiquis Breuiarijs, Nogarolico, Bustino, Quignonio, approbatis à Summis Pontificibus, & ab Vniuersali, ac Romana Ecclesia longo iam tempore frequentatis.

D

31 S. DIONYSIVS Areopagita Epist. ad S. Paulum Apostolum hæc de B. Virgine scripsit. „ Perspexi, ac proprijs oculis intui- „ tus sum Deiformem, atque super omnes Ange- „ licos Spiritus Sanctissimam Matrem Dei. At B. Virgo non potuisset verè dici à S. Dionysio Sãctissima super omnes Angelicos Spiritus, si in sui Cõceptione, seù Creatione fuisset maculata originali, quando Angeli in eorum Creatione fuerũt expertes peccati, ergò. Deindè & melius, & congruentius saluatur, quòd fuerit Deiformis, si ponatur caruisse Peccato Originali, quàm si ponatur illo Maculata, ergò ex mente S. Dionysij Beata Virgo pre-

seruata fuit à Peccato Originali.

32 S. DIONYSIVS Alexandrinus Episcopus ergà Marianam Conceptionem non semel pietatē suam testatus est; & primò quidem in Pręfat. Epist. ad Paulum Samosatenum ità loquitur. *Vna autem, & sola Virgo filia vitę genuit Verbum viuens.* Secūdò in solut. q. 5. appellat B. Virginem semper laudatissimum Dei Templum. Tertiò in solut. q. 10. loquens de Filio Dei ait. *Et Matrem incorruptam à pedibus vsque ad caput benedictam seruauit.* At quomodo Filius Dei seruasset Matrem benedictam à pedibus vsque ad caput, si fuisset aliquando maledicta per Originale Peccatum? Quomodo eadem diceretur sola filia vitæ, si fuisset filia Mortis, quam incurrisset per Originale contractum in sui Conceptione? Quomodo Templum Dei semper laudatissimum, si fuisset aliquandò, idest, in momento suę Conceptionis illaudata ob Peccatum Originale?

33 D. DIONYSIVS Carthusianus illustria dedit Marianæ Præseruationis testimonia: Nam primò in Cōment. Epist. Pauli ad Rom. 5. ait. „ Ideò „ secundum Apostolum plùs potuisse Gratiam, „ quam peccatum, plùs donum, quàm delictum, „ quia peccatum, & delictum in omnes transijt „ excepta B. Virgine, Gratia verò in omnes; Nullam addens exceptionem. Quid clarius? Deindè in 3. d. 3. q. 1 §. verumtamen ait. Festum Conceptionis sub nomine Conceptionis celebrandum esse, sicut hodie celebrat Ecclesia, & vt consueuit celebrare totus Ordo Carthusianus. Et quia Dionysius floruit Anno 1450. atque adeò antè Sixtum IV. signū

est, antiquissimo tempore celebratum esse hoc Festum sub nomine Conceptionis.

34 S. DOMINICVS Ord. Præd. Patriarcha in Libello de Sacramento Corporis Christi contrà Hæreticos Albigenses probat, B. Virginem fuisse immunem à Peccato tàm Originali, quàm Actuali, similibus omninò verbis, quibus vsus est S. Andræas Apostolus, videlicèt, „ Sicut primus Adam fuit „ ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ità decuit in secundo Adam, idest, in Christo „ fieri, cuius terra, idest, Mater Virgo nunquã fuit „ maledicta. Si ergò B. Virgo nunquam fuit maledicta, ergò nunquam subiacuit Peccato Originali, à quo omnis maledictio.

Hunc Libellum verè fuisse à S. Dominico compositum testantur non modò Sententiæ negatiuæ omnes, sed ex Ord. Dominic. Vincentius Bellou. in Specul. histor. lib. 22. c. 96. Theodoricus de Apoldia lib. 1. c. 6. S. Antoninus 3. p. Chron. tit. 19. c. 1. §. 4. & alij Scriptores innumeri, quos longa serie refert, & enumerat Alua in Sole verit. fol. 871. nu. 307. Imò adducta verba reperies in Breuiario antiquo Hyspalensi, Romano Impresso Venetijs apud Iunctas anno 1543. ad vsum Fr. Præd. in Breuiario ms per Fr. Andræam de Cremona, quod ego vidi Ferrariæ hoc Ann. 1651. in officio Nogarolico, Bustino, Quignonio, approbatis, vt aliàs dixi, à Summis Pontificibus.

Et quidem S. Dominicum stetisse pro Immaculata, præter dicta, suadet primò, quia fuit de gente Gusmanorum, qui hanc pietatem simul cum lacte

fugiunt, vt ait Oieda in sua Informat. Suadet secundò, quia valdè verisimile est, S. Dominicum non desciuisse ab Instituto Canonicorum Regularium S. Augustini defendentium Immaculatam, quod Institutum fuerat professus S. Dominicus, antequam suum Ordinem fundaret: Quarè mihi facilè persuadeo, antiquo tempore viguisse negatiuam opinionē in Ord. Domin. vsque ad tempora S. Thomæ Aquinatis, & ex quibusdam eiusdem verbis perperam intellectis hausisse Modernos Thomistas Contrariam, & Affirmatiuam Opinionem.

E

139 S. ELIGIVS Episcop. Nouiomen. Hom. de Purif. B. Virginis, Marianam Præseruationem his verbis testatus est. *Nequaquam immunda iudicatur, quæ S. Spiritu obumbrante, totius munditiæ, & sanctitatis Auctorem genuisse comprobatur.*. Si B. Virgo nequaquam, seù nullo modo, iudicatur immunda, ergò nunquam habuit immūditiam Originalem, aliàs aliquo modo iudicaretur immunda.

136 S. EPIPHANIVS in Cypro Episcop. Homil. de laudib. B. Mariæ satis clarum reliquit de Mariana Præseruatione testimonium, sic enim de illa loquitur. *Solo Deo excepto, cunctis superior existit, Natura formosior est Cherubim formosior Seraphim, & omni exercitu Angelorum.* Atqui non esset solo Deo excepto cunctis superior, non esset Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum formo-

mosior, si aliquando, & in sui Conceptione subiactasset Peccato Originali, ergò ex mēte S. Epiphanii B. Virgo est præseruata à Pecc. Orig.

37 S. EPHREM Syrus in Orat. de laud. Beatæ Mariæ ita loquitur. *Intemerata, prorsusque pura, Virgo Deipara Regina omnium.* Atqui non fuisset prorsus pura, si habuisset impuritatem Originalem in sui Cōceptione, quia dictio, *Prorsus*, ex Barbosa de Dictionibus dict. 249. est precisiua, restrictiua, & nullam admittens exceptionem, & paucis interiectis ità prosequitur. *Sublimior cœlicolis, purior Solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim.* At quomodo esset sanctior Seraphim, si habuisset Originale in sui Conceptione, & Creatione, quandò Seraphim creati sunt in gratia? Quomodo honoratior Cherubim, si dehonorata per Originale? Quomodo cælicolis superior, si inferior, & subdita diabolo per Originale? ergò S. Ephrem tenuit Marianam Præseruationem.

38 S. EVCHERIVS Lugdunens. Episcop. Ser. de Natiu. pro Immaculata ità pronunciat. *Sed quid de Matre Domini dicam? cuius odoris fragrantiam Rex sapientissimus Salomon admirans, ait.* Quæ est ista, quę ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi generis pigmentarii, *vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi nullum fætoris inditium esse potest in illa*, ergò in B. Virgine nullus fuit fœtoris inditium, at si in ea fuisset Originale Peccatum, fuisset sinè dubio cumulatè omnis fœtoris inditium, vt patet, ergò in B. V. non fuit Peccatum Originale.

F

39 S. FVLGENTIVS Episcop. Ruspensis Orat. de Christi Natiu. hæc habet pro Immaculata. *Cùm dixit, Aue, Salutationem illi cælestem exhibuit; cùm dixit, plena, ostendit ex integro Iram esse exclusam primæ Sententię, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Si à B. Virgine exclusa est Ira primæ Sentētiæ, ergò exclusum est ab ea P. Originale, quod vel venit nomine Iræ, vel necessariò infert Iram, & Diuinam indignationem. Si plena benedictionis gratia restituta, ergò restituta est gratia innocentię originalis, quia hæc sola est gratia benedictionis plenā, ergò ex mente D. Fulgentii B. Virgo Concepta est in Iustitia, & benedictione originali.

40 S. FVLPERTVS Carnotensis Episcop. in Sermon. de Natiuit. B. Virginis non semel Marianā Præseruationem testatur. Et primò quidem sic loquitur. *Hoc igitur inprimis adstruere fas est; Anima ipsius, & Caro, in qua elegit sibi habitaculum sapientia Dei Patris ab omni malitia, & immunditia Purissima fuerunt, affirmante Scriptura, quoniam in maleuolam Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis;* At quomodo Anima B. Virginis fuisset purissima, si in Conceptione sua fuisset infecta immunditia originali? Deindè ad illud Aue gratia plena, sic ait. *Aue Maria electa insignis inter filias, quę Immaculata semper extitisti ab exordio tuę Creationis.* Quid clariùs dici poterat

rat pro Conceptione Mariana Immaculata?

G

41 S. GREGORIVS Magnus, & Maximus Pontifex ad illud Isaiæ 2. Erit in nouissimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice Montium, ità ait pro Immaculata. *Mons quippè in vertice Montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit*, & aliquibus interiectis. *An non sublimis Maria quę vt ad Conceptionem Diuini Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum Choros, vsque ad soliũ Deitatis erexit.* At quomodo altitudo Mariæ refulsisset super omnes Sanctos, si non minùs quam illi, fuisset Concepta in Originali? Et quomodo meritorum suorum verticem erexisset super omnes Angelorum Choros, si fuisset Concepta, & Creata in Peccato, in quo non fuerunt creati Angeli?

42 S.GREGORIVS Nazianzenus Episcopus, coenomento Theologus in Epist.ad Nemesium ità loquitur pro Immaculata. *In multorum Hominum ore hic Sermo versatur, Dei Hominem, idest Christum ex Virginis sinu ortum esse, quem Spiritus Sanctus cùm Dei magno Templo coagmentauit, Templum Sanctum extruens, Mater enim Virgo Templũ Christi fuit, Christus autem Verbi*, Ergò ex mente Nazianzeni Deus creans, & condens Virginem, Sanctum Templum extruxit, at non extruxisset Templum Sanctum, si in eius extructione, seù Conceptione locum habuisset peccatum originale, quod

quod est cùm sanctitate omninò incompatibile,ergò ex mente Nazianzeni B.Virgo præseruata est ab Originali.

43 S.GREGORIVS Neocæsariensis in Ponto Episcop. cognòmento Thaumaturgus semel, & iterùm Marianam Præseruationem asseruit; nam primò in Serm.de Annunc.ait.*Conuenienter igitur Sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam Gratia elegit.* Verùm,quæ Gratia solam B.Virginē elegit,nisi Præseruatiua à Peccato Originali, nam Gratia Sanctificatiua alijs etiam Sanctis conuenit,& non solùm B.Virgini.Deindè ità prosequitur Thaumaturgus. „ Angelus S. Mariæ primò „ omnium illud;Aue Gratia plena præsignificauit, „ quia cum ipsa totius Gratiæ thesaurus reconditus erat, ex omnibus enim generationibus hæc „ sola Virgo Sancta,& prorsus impolluta corpore, „ & spiritu extitit. Sanè B.Virgo non habuisset Thesaurum reconditum totius Gratiæ, si defuisset illi Gratia Præseruatiua à Peccato Originali, non extitisset sola Sancta, nisi habuisset sanctitatē præseruatiuam;non fuisset prorsus impolluta, si in breuissima morula suæ Conceptionis fuisset polluta per peccatum originale;ergò ex mente S.Gregorii, Thaumaturgi B.Virgo fuit præseruata à Peccato Originali.

44 S.GREGORIVS Nyssenus Homil.13. in Cant. quam inuenies in eius Operibus Impressionis Parisinæ Anno 1573.Marianam Præseruationē his verbis textatus est; „ Oportebat Matrem Vi„ tæ tàm Conceptionem à lætitia inchoare,quàm

Par-

„ Partum in lætitia perficere, nimirum ait ad eam
„ Princeps ille Angelus; Gaude per Gratiam Di-
„ lecta Lucæ 1. qua voce mæstitiam illam abigit,
„ quæ rerum initio partui est imposita. Vbi quemadmodum Gaudium opponitur per antithesim mæstitiæ Partus, ità Gratia, & Dilectio per Gratiam opponitur Peccato Originali, ex quo mæstitia orta est in partu aliarum Fœminarum, non ergo in B. Virgine per Gratiam dilecta locum vnquam habuit Peccatum Originale ex mente S. Gregorii Nysseni.

45 S. GERMANVS Episcopus Constantinopolitanus repetitis vicibus Marianam Præseruationem protestatur; nam primò Orat. 1. in Presẽtatione Santiss. Dei Matris; Beatam Virginem appellat
„ Puellam omninò puram, Codicem nulla sorde
„ inquinatum. Vbi terminus, omninò, vtpotè præcisus, & nullam admittens limitationem, vt dixi suprà ex Barbosa, denotat Puritatem Præseruatiuam. Similiter dicere, B. Virginem fuisse Codicem nulla sorde inquinatum, denotat apertè caruisse sorde originali, aliàs haud verè diceretur Codex nulla sorde inquinatus. Deindè S. Germanus passim tàm in Fragmentis, quàm in Orationibus de B. Virgine; eam dicit, „ Carere omni reprehensione;
„ fuisse sanctissimam, omni ex parte Immacula-
„ tam; Paradisum terrestrem ab omnibus fraudu-
„ lenti serpentis insidiis tutatum; nulli næuo subie-
„ ctam, ab omni næuo immunem; Quibus honorificentissimis epithetis passim obuiis in suo Mariali, clarè, & dilucidè Mariana Præseruatio à S. Ger-

fuit ſemper in Luce, & nunquam in Tenebris, sē-
per fuit in Luce Gratiæ, & nunquam in tenebris
peccati; non enim in ſua Conceptione fuit obſcura-
ta tenebris peccati originalis. Deindè in Serm. de
Aſſumpt. B. Virg. qui habetur tom. 9. ſuorum Ope-
rum ità loquitur. „ Nihil eſt candoris, & gloriæ,
„ quod ex ea non reſplendeat, Angelorum quãuis
„ celſior natura ſit, nō tamen gratia maior, quia &
„ ipſi gratia gratuita, nè corruerent, ſunt ſaluati. Si
nihil eſt candoris, & gloriæ, quod non reſplendeat
in Maria, ergò non deeſt illi Candor Originalis, &
gloria Originalis Innocentię. Si Gratia Angelorum
non eſt maior ea, quæ fuit in Maria, & Angelorum
Gratia fuit præſeruatiua, vt indicãt illa verba. „ Ipſi
„ gratia gratuita, nè corruerent, ſunt ſaluati; Ergò
& in Maria fuit Gratia pręſeruatiua ex mente San-
cti Hieronymi.

48 HONORIVS Præsbyter in Sigillo B. Vir-
ginis c. 5. de B. Virgine ſic loquitur. „ Columba
„ mea, Spiritu Sancto plena, Immaculata mea ab
„ omni ſorde peccati ſegregata. Profectò nō fuiſ-
ſet ab omni ſorde peccati ſegregata, ſi fuiſſet con-
creata, ſeù Concepta in ſorde peccati originalis;
ergo ex mente Honorij B. Virgo fuit ſegregata in
ſui Conceptione à Peccato Originali.

I

49 S. IACOBVS Maior in Hyſpanias pro-
fectus vnà cùm Chriſti Fide Maria-
nam Præſeruationem Credentium Pectoribus inſc-

Ann. Domini 676. vbi ait: Beatissima Sedes de Columna in Vrbe Cæsaraugustana, quæ constructa est iussu Virginis à B. Iacobo, cùm in Hyspania prædicauit Anno 27. à Natiuit. Domini, & consecrata eidem Immaculatæ Conceptioni, quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique hoc tempore celeberrima, multorum contubernio visitatur.

50 S. IACOBVS Minor, Christi Domini Apostolus, & primus Hierosolymorum Episcopus in sua Liturgia, quam VI. Synodus approbauit, luculentissimum reliquit pro Mariana Conceptione testimonium his verbis. *Dignum est, vt verè Beatam dicamus Deiparam semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri.* Cùm ergò B. Virgo dicatur semper Beata, ergo fuit Beata in instanti suæ Conceptionis, aliàs non semper Beata; & si in instanti Conceptionis Beata, ergò expers peccati originalis, aliàs potiùs misera diceretur, & infœlix. Pariter si est omnibus modis irreprehensa, ergo irreprehēsa ab originali, aliàs nō diceretur irreprehēsa omnibus modis, sed aliquo modo reprehensibilis, seù reprehensa ob peccatum originale.

51 S. IOANNES Chrysostomus Antistes Constantin. in sua Liturgia, Immaculatam Cōceptionem Marianam his verbis testatus est. *Verum, dignum, & iustum est, glorificare Te Deiparam, & semper Beatissimam, & penitùs incontaminatam Matrem Dei nostri, honorabiliorē Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quę citrà corruptionem Deum peperisti.* Atqui non posset dici Beata Virgo à S. Ioanne Chrysostomo semper Beatissi-

tiſſima, ſi in inſtanti Conceptionis ſuæ fuiſſet cum Peccato Originali, quia fuiſſet plena miſeriæ, & infœlicitatis: neque poſſet dici, penitùs incontaminata, quia dictio, *Penitùs*, vt ſæpè dictum eſt, omnem prorſus contaminationem excludit, & in quocunque inſtanti; neque enim eſſet honorabilior Cherubim, glorioſior incomparabiliter Seraphim, quia hi ſemper expertes peccati, non ſic B. Virgo, ſi contraxiſſet Originale; ergò ſi verba S. Ioannis Chryſoſtomi rectè intelligantur, ſatis apertè Marianam Præſeruationem deprædicant.

52 S. IOANNES Damaſcenus & pluribus, & clariſſimis locis Marianam Pręſeruationem expreſſit. Primò lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 2. appellat B. Virginem, *Semper ſanctam*, ergò ſanctam etiam in momento ſuę Conceptionis, aliàs non verè diceretur ſemper ſancta à S. Ioann. Damaſceno. Secundò Orat. 1. de Natiu. ait. *Natura Gratię cedit, ac tremula ſtat progredi non ſuſtinens; quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna orirettur, Natura Gratię fœtũ anteuertere minimè auſa eſt, ſed tantiſper expectauit, donec Gratia fructum ſuum produxiſſet.* En quomodo in ſui productione, & Cõceptione à Gratia ſanctificãte præuecta Maria eſt. Tertiò ibidem ſubdit. *O Beatos Ioachim lumbos, è quibus immaculatum ſemen effluxit, O pręclaram Annę Vuluam, in qua tacitis incrementis formatus eſt ſanctiſſimus fœtus.* Si fœtus ſanctiſſimus formatus, atque adeò ſi Maria in ſui Formatione, & Conceptione ſanctiſſima fuit, ergò expers peccati Originalis. Iterum ſi ſemen, ex quo formata Maria, &

Con-

Concepta est, Immaculatum fluxit, ergo nō potuit maculare Marianam Cōceptionem. Quartò Orat. 1. de Assumpt. ait Damascenus. *Mariam inueniſſe Abyſſum Gratię, quę Animam non minùs, quā Corpus Virginis custodiret.* An non in Abysso Gratiæ inuenire est Gratiam Præseruatiuam Animæ Beatæ Virginis à peccato originali? Quintò Orat. 2. de Assumpt. ait. *Ad hunc Paradiſum ſerpens aditum non habuit*; non ergo patuit aditus ad B. Virginem serpenti, id est, diabolo, per peccatum originale in eius Purissima Conceptione. Sextò demum eadem Orat. introducit Filium ad B. Virg. ità loquentem. „ Animam meam tibi caram accipe, quam à peccati labe puram seruasti; Vbi nomine peccati simpliciter prolati, & antonomasticè, intelligitur peccatū originale; fuit ergo B. Virgo Pręseruata ab originali, quod in Conceptione contrahitur: Repetitis ergo vicibus Damascenus Marianam Præseruationem contextatus est.

53 S. IOANNES Hierosolymitanus Patriarcha 44. Lib. de Instit. Mon. c. 35. Marianam Præseruationem non obscurè exprimit exemplo nubeculæ ascendentis è mari, quæ fuit alterius qualitatis, & proprietatis diuersæ à mari, è quo ascendit, ità Maria quamuis ascenderit, & Concepta sit de Humana Naturà peccatrice, tamen in sui Conceptione fuit munda à Peccato. Verba eius formalia sunt.
„ Sic quāuis in quolibet alio Homine instar Maris Natura Humana sit in sua origine ità amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa,
„ vt fateri cogatur, Iniquitates meæ supergressæ sunt

" originali, quàm actuali præseruatam, vt decebat
" eam, quæ Mater esset Vnigeniti Filij Dei, id-
" que adeò ut ipse super Sanctissimus Spiritus Sã-
" ctus, in quẽ nulla cadit admiratio, eius pulchri-
" tudinem, Donorumque, & virtutum, atque Cha-
" rismatum omnium splendorem (quibus mirificè
" decorata refulget) per suos electos Angelos, &
" Homines admiratur, dicens in Cant. Volumine.
" Quàm pulchra es Amica mea, quàm pulchra es.
" Itemque, Tota pulchra es Amica mea, & Macula
" non est in Te. Enim verò Deus gloriæ, ostendit
" in amabilissima, longèque carissima Matre sua,
" cui similem nunquam fecit, neque facturus est
" Creaturam dignitate, pulchritudine, nobilitate,
" & omni maiestate, & gloria: Tanta namque pu-
" ritate, sanctitate, perfectione nitet, & emicat, vt
" omni sit Angelica puritate longè superior, nec
" vlla maior sub Deo puritas queat intelligi, quã
" Deus per suam Potentiam, Sapientiam, & Boni-
" tatem tàm in Conceptione, quàm omni illius Vi-
" ta, Morte, & Glorificatione vltrà communem
" Naturæ modum, Humanamque cõditionem in-
" signi cùm miraculo præseruauit, dignam fecit,
" vti hoc Diuinæ congruum erat Maiestati, quæ ex
" ipsa carnem sumere dignatus est; Et quamuis nõ
" defuerint, qui in hac parte non satis illuminati
" Diuinitus, Conceptionis eius Puritatem voca-
" uerint in dubium, eam tamen Sancta, eademque
" Catholica Ecclesia, quæ errare non potest, hoc
" ipso, quòd Festum ipsius solenniter celebran-
" dum, colendumque assumpsit, haud obscurè ad-

 struit

„ ſtruit,& affirmat,neque enim id ageret vllo mo-
„ do,niſi Conceptionem tantæ Virginis,& Matris
„ Dei, omnis fuiſſe contagionis expertem, imò &
„ Sanctam pro certo, exploratoque haberet, pro-
„ phana namque Feſta non nouit Eccleſia. Tota
„ ergo Pulchra, & Deificata fuit B. Virgo Maria.
Quid clariùs, quid apertiùs dici vnquam poterat à celeberrimo Declamatore Ioanne Taulero Ordinis Dominicani?

55 B.IOANNES Capiſtranus Ord.Minorum in Serm.de Conceptione B. Mariæ Virginis probãs Poſſibilitatẽ,Congruitatem, & Realitatem Præſeruationis Marianæ, ait primò. *Quilibet immediatè ſubiectus Papę,eſt exemptus cap.ſi Papę de Priuileg. lib.6. Sed B.Virgo fuit ſpecialiter ſubiecta Deo,ergo ſpecialiter exempta à ſeruitute, & ſubiectione diaboli, quam primò omnes incurrimus contrahendo Originale in Conceptione.* Secundò; *Maius eſt ſinè dolore parere,quàm ſinè peccato concipi,ſed B.Virgo ſine dolore peperit,ergo & ſinè peccato Concepta fuit.*

56 S. IGNATIVS Antiochenus Epiſcopus, & Martyr.in Epiſt.1.ad Ioãnem Apoſtolum pro Mariana Præſeruatione hæc habet. *Quidam notificauerunt eandem Matrem Dei omnium Gratiarum eſſe abundantem, & omnium Virtutum more Virginis, Virtutis, & Gratię fęcundam.* Profectò non eſſet B. Virgo omnium Gratiarum abundans, ſi defuiſſet illi Gratia Præſeruatiua à Peccato Originali in ſui Cõceptione,cùm ergò aſſeratur B.Virgo omnium Gratiarum abundans, aſſeritur conſequenter præſeruata à Peccato Originali in ſui Cõceptione.

57 S.

57 S.IGNATIVS Loyola Auctor, & Institutor Societatis Iesu non dicto, sed facto Marianam Præseruationem contextatus est; Nam Assertionibus illis Theologicis, quæ primùm Romæ propugnatæ sunt à Primis fundatæ à se Societatis PP. personaliter interfuit, At inter illas Assertiones præcipua fuit de Mariana Præseruatione, vt testatur Velasquez in Tract. de hac Materia. Verùm Sanctissimi Ignatij Loyolæ Obsequium, Pietatem ergà Marianam Præseruationem validè confirmat, quòd nullus è Societate Iesu Scriptor est in quocunque genere Disciplinarum, qui pro illa non acerrime pugnet, vt est notum, quàm quod notissimum, vel mediocriter versatis in euoluendis PP. Societatis Iesu Libris pręlo cusis. Ioann. Eusebius Nierembergius in Vita S.Ignatii Loyolæ refert. Sanctissimum Virum ergà Immaculatam B.Virginis Conceptionem affectum hausisse ex Miraculo, quod Manresę, vbi is Vitæ pijssimæ Tyrocinium posuit, erat tunc vulgatissimum; quia nimirum Sacerdos sica confossus, ac planè mortuus, reuixit, sincerè pronuncians sibi Vitæ tantillum esse concessum à Deo, vt sententiam de Maculata Conceptione, quam viuens, tenuerat, acerrimè propugnauerat, reuocaret. Quare cùm Ignatium Loyolam pro teste irrefragabili Marianæ Conceptionis Immaculatæ produco, lectissimam manum, multitudinem magnam doctissimorum Virorum, ac in omnibus Christiani Orbis Academijs celeberrimorum, educo.

58 S ILDEPHONSVS Archiepiscopus Toletanus repetitis vicibus Marianam Præseruationē

ſatis dilucidè, & clarè aſſeruit; Et quidem omiſſis locis à me citatis in Diſcurſu Theologico nu. 20. & 22. Sanctiſſimus Ildephonſus celebri illo Libro de Parturit. & perpetua Virgin. B. Mariæ Virginis eius Præſeruationem aſſeruit, ait enim primò. *Beatam Virginem in totum fuiſſe extraneā à maledicto primę damnationis.* Secūdò ait: *Quid legem naturę requirit in Maria, vbi totum quidquid in ea fuit, poſſedit Spiritus Sāctus?* Tertiò ait: *Nullis ergò quandò nata eſt, delictis ſubiacuit, nec Orig. Peccatū in vtero ſanctificata contraxit.* Quartò ait: *Quamuis SS. Apoſtoli,* Patriarchę, Prophetę *tanquam montes excelſi virtute, & ſanctitate vita obruti ſint aquis, & inundatione Peccati Originalis, ipſa tamen Arca noſtra vniuerſos ipſos montes ſupergreſſa, ferebatur etiam in ipſo Conceptionis exordio in ſublime Puritatis; nec eſt immerſa huic voragini ſordis originalis, quare de ipſa non abſurdè dicitur,* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, ideſt, *Animę fideles per adoptionem filiationis Dei per gratiam aſſumptę, pręclaras virtutum diuitias ſibi coaceruarunt.* Tu ſupergreſſa es vniuerſas, *Quia cùm his omnibus ornamentis cumulata, immunitatem inſuper originalis contagionis in Conceptu habuiſti, à qua cęterę non ſunt exemptę.* Ergò S. Ildephonſus apertiſſimis, & clariſſimis verbis Marianam Prę ſeruationem non ſolùm aſſeruit, ſed propugnauit.

59 B. IORDANVS Magiſter General. Ordin. Domin. vt refert Ioan. Herolt cognomento Diſcipulus in Serm. de Concept. aſſeruit Immaculatam Conceptionem, quia vt dixi ſuprà 2. p. art. 2. nu. 20. aſſe-

asseruit Gratiam sanctificantem fuisse collatam B. Virgini, *Quandò Anima infusa est, & vnita corpusculo.* Si ergò in illo instanti animationis Gratia sãtificans collata est B. Virgini; Præseruata vtique est à Peccato Originali in illo instanti ex mente Beati Iordanis.

60 S. IOSEPH Confessor pro Mariana Præseruatione non semel pronunciauit; Nam primò sic loquitur in Menæis die 2. Ianuarii ode 5. *Salue, ò cadentis Mundi Erectrix nulli vnquam Culpę subiecta.* Si nulli Culpæ, si nunquam subiecta fuit B. Virgo, ergò non fuit subiecta Peccato Originali in instanti suæ Conceptionis. Secundò ibidem dicit. *Inquinatus ego turpitudine cogitationum, & Homo nihili factus ob frequentia in leges Diuinas delicta, Te pèr quàm suppliciter oro, quę maculam omnem in Te ignoras.* Si B. Virgo omnem maculam ignorat, ergò ignorat maculam originalem ex mente S. Ioseph, aliàs non ignoraret omnem maculam.

61 S. IOSEPH Sponsus B. Virginis, cui nulli meliùs, & penitiùs poterat esse perspecta Sponsæ suæ originalis innocentia, ex D. Ioan. Chrysostomo perpetuam B. Virginis Impeccabilitatem expressit, quãdò nolens eam traducere, voluit occultè dimittere, ait enim D. Io. Chrysostomus Hom. 1. in Matt. *O inestimabilis laus Marię, magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius; & plus gratię, quàm Naturę. Possibilius esse credebat, Mulierem sine Viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare.* Ergò ex mente S. Ioannis Chrysostomi S. Ioseph existimauit B. Virginem non posse peccare, ergò existimauit

maiuit immunem ab originali, quia nõ posse actualiter peccare, est effectus proprius immunitatis ab originali ex regula D. Augustini ex lib. 5. cont. Iulian. c. 9.

62. S. ISIDORVS Hyspalensis Archiepisc. in Missali, & Breuiario à se reformato iussu Concilij Tolet. 4. vt testatur Binius in Notis ad c. 4. eius Cõcilij: semel, & iterum Marianam Præseruationem testatam reliquit; Nam primò in quadam Orat. sic dicit, „ Domine Iesu Christe, qui Virginem Ma„ trem sic honorificasti, eousq; Conceptionis eius „ gratia, eam coram te suffragatricem inuenimus: Fuit ergò in Conceptione Mariana talis gratia, vt potuerit pro nobis orare, & suffragari, ergò nõ fuit in ea peccatum originale, aliàs non potuisset pro nobis orare, & suffragari, quia Deus peccatores nõ exaudit: Neque S. Isidorus potest explicari de Cõceptione actiua, quia Conceptio actiua in communi modo loquẽdi, & in phrasi D. Thomę 3. p. q. 23. dicitur Conceptio Christi, seù Incarnatio: Secundò in quadam Benedictione ait. *Qui Matrem seruauit à corruptelę contagio, sinum cordis vestri emundet à delicto.* Sed Matrem esse seruatam à corruptelæ cõtagio est fuisse præseruatam ab originali, quod venire nomine contagij, non est dubitandum, ergò.

63. S. ISIDORVS Thessalonicensis Archiepis. repetitis vicibus Marianam Pręseruationem à Peccato Originali commendauit; & præter olim adducta in Discur. Theolog. fol. 9. 16. 24. Primò Orat. in Natiu. B. V. cum explicasset animæ corruptionem consistere in illius discessu à Deo ità cõcludit; *Omnibus*

nibus igitur suffragiјs Virgo eo, quo diximus modo incorruptibilis est; ergò Anima B. Virginis nunquam discessit à Deo, ergò nunquam subiacuit Peccato Originali, quod esse discessũ Animæ à Deo, non est dubitandum. Ibidem ad illa verba, Dominus tecum, ait. *Dominus tecum, qui tibi præsens aderat, & ante vitam, & genitę, & ante salutationem, & post illam*: Si Dominus fuit cum Beata Virgine antè vitam, & genitæ, seù in ipsa generatione, vel Conceptionę, ergò in eius Conceptione locum non habuit Peccatum Originale. Tertiò in Ser. Annunc. B. V. puritatem appellat *Incomparabilem*, sed Puritas B. Virginis non esset incomparabilis, si fuisset pura solum in Natiuitate, quia in hac puritate habet alios sibi pares, ergò debet asseri pura in sui Conceptione. Ibidem dicitur Immaculata, & seruata pura supra omnem puritatẽ, At non esset pura suprà omnẽ puritatẽ, si habuisset puritatem in Natiuitate, quæ est aliis communis, ergò fuit pura in sui Conceptione.

64 B. IVO Carnotensis Episcopus in Serm. de Natali Domini ità loquitur pro Immaculata. „ Omnem quippè næuum tàm Originalis, quàm „ Venialis culpæ in ea deleuit, sicque carnem de „ carne eius sumens eandem in diuinam munditiẽ „ transformauit. Et quidem sicut Deus non deleuit venialem culpam in B. Virgine mundatiuè, sed præseruatiuè, ità Originale Peccatum deleuit eodẽ modo præseruatiuè, non mundatiuè, aliàs B. Iuo in breui semiclausula verborum turpiter ęquiuocasset illo termino *Deleuit*. Porrò cit. serm. B. Iuonis inuenies apud Melchior. Hittorpium Impressum Coloniæ Anno 1568.

L

65 B. LAVRENTIVS Iustinianus Patriarcha Venetus Libro de Casto Connubio verbi, & animæ cap. 7. pro Mariana Præseruatione ità loquitur. „ Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine, excepto duntaxat Mediatore „ Dei, & Hominũ Christo Iesu, & eius Matre sub „ hac lege peccati sunt conditi: Excipitur ergò à lege Peccati Originalis B. Virgo. Et clariùs Libr. de Perfect. grad. c. 1. ab hoc quippè Originali delicto nullus excipitur prçter illam, quæ genuit Mundi Saluatorem. Tandem in fasciculo diu. Amoris ità concludit. „ Nemo ab ipso Mundi initio ad ipsã „ plenitudinem temporis euasit iugum domina„ tionis diabolicæ, duntaxat Mediatore, & eius „ Genitrice exceptis: Ter ergò fuit explicatissimis verbis excepta B. Virgo à Peccato Originali in Sententia B. Laurentij Iustiniani.

66 S. LEO Papa Immaculatam Beatç Virginis Cõceptionem in Serm. de Christi Natiu. his verbis expressit. „ Oportuit, vt primam Genitricis inte„ gritatem nascens incorruptio custodiret, & com„ placitũ sibi claustrum pudoris, & sanctitatis ho„ spitium diuina spiritus virtus infusa seruaret: Sed quòd nascens incorruptio, id est Christus, seruaret in B. Virgine primam integritatem, importat, quòd eam præseruauerit ab orig. per quod deperditur prima integritas, seù innocentia, ergò B. Virgo præseruata ab orig. est ex mente S. Leonis.

67 Leo

67 LEO Sapiens, seù Philosophus Græcorum Imperator Serm. 3. de Annunc. B. Virg. pro Immaculata Conceptione Mariana illustre dedit testimonium his verbis loquens ad B. Virg. *Cùm enim in paternis lumbis contineréris, progenitor tuus clamabat. Audi Filia obliuiscere &c. Audisti verò, ò Filia commonitionem, & oblita es Populi tui, & sortis, & domus paternę. Sortis, videlicèt, illius, quam Eua progenitrix toti Generi distribuit immenso illo Dolorum cumulo, quasi hęreditatis iure datum; At nihil horum in Domum tuam intulisti, propterea dilexit Te Rex ob Animę tuę pulchritudinem, Sponsamque delegit.* Si ergo B. Virgo cùm adhùc in Paternis lũbis contineretur, oblita est Paternæ sortis, & nihil hæreditariæ calamitatis in domum, & Animam suã intulit, ergò non contraxit Peccatum Originale, si Leoni Sapientissimo Imperatori præstanda Fides est.

68 B. LVDOVICVS Beltram Ordin. Domin. non solùm in suis Concionibus sæpissimè Marianã Præseruationem asseruit, sed refert Vincentius Iustinianus eiusdem Ordin. & sensus §. vlt. in Addit. ad eius Vitam; B. Ludouicum solitum fuisse sæpè dicere, quòd „ Si modo Sancti Antiqui (qui visi „ sunt oppositum sentire) viuerent, & viderent Festum Immaculatę Conceptionis B. Virginis tàm solemniter celebrari, mutarent sententiam, & sese pro Mariana Præseruatione declararent.

Et Ratio huius dicti reddi potest, quia omnes Sancti dùm hìc viuerent, vno ore clamarunt, non suam ipsorummet propriam vocem, sed vocem Ec-

clesię esse audiendam;ergò si modò viuerent,& audirent Ecclesiam solemni ritu canentem Resp. 8. offic.I.C. Tuam Sanctā Cōcept.vtique libentissimè exararent,non calamo,aut stylo Hominis,sed stylo ferreo,non in paginis, sed in plumbi laminis, aut cælte sculperent in silice; Sanctam, Immaculatam Conceptionem; & reuerà rationabiliter, & ingenuè discurrendo, si omnes Sanctos,imò & Sanctas cōgregare possemus,& interrogare;Vtrùm B.Virg. Conceptio fuerit Sancta, quid responsuros putamus, Vtrùm hoc,quod Thomistæ recētissimi dicūt, An quod canit Ecclesia;Tuam Sanctam Conceptionem?

65 S.LVDOVICVS IX.Francorum Rex Piętissimus Immaculatam Conceptionem Marianam peculiari studio impensè coluit,asseruit; Nam, vt habemus in paruis Officijs Antiquis, quibus vsi sūt Francorum Reges Robertus, Ludouicus,alijque ex ordine ; nuperrimè Parisijs Anno Domini 1643. iussu Ludouici XIII.recusis,& ordinatis,plures sunt apertissimæ sententiæ in Paruo Officio Immaculatæ Conceptionis pro eadem Immaculatā Conceptione,seù Mariana Præseruatione. Primò in Hymno ad Vesperas ità legimus. Hæc est Virga, in qua nec nodus Originalis, nec Cortex actualis Culpæ fuit.Deindè in Hymno ad Matutinum. Te pulchrā ornauit sibi Sponsam, in qua Adam non peccauit; In Hymno ad Laudes.Salue Virgo Sapiens,Domus Deo sacra, in qua nulla sordes, aut immunditia, ab omni Contagio Mundi Pręseruatā. In vers.Capit. ad Primam.

In

In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti
Ora pro nobis Patrem, cuius Filium genuisti.

In Hymno ad Tertiam. Decebat tam nobilē Natum præcauere, ab Originali labe Matris Euæ, Almam, quā elegerat Genitricem verè, nulli prorsus sinens Culpæ subiacere. In Hymno ad Sextam. Terra es benedicta, & Sacerdotalis, Sancta, & immunis Culpæ Originalis. Denique in Hymno ad Nonam. In Conceptione Caritate ignita, Draconis potestas est à Te contrita.

M

70 S. MARCVS Euangelista Ecclesiarum Aegypti Magister, & Fundator in Ordine Baptismi habet pro Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis. „ Intercessione plenæ gra-„ tia Virginis Genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus est Sancta; At non fuisset in omnibus Sancta, si in sui Cōceptione habuisset Originale Peccatum, quod est cùm sanctitate incompossibile. Prætereà quòd antiquissimo tempore celebratum sit Festum Immaculatæ Cōceptionis apud Aegyptios, Syros, & Abyssinos ex D. Marci Euangelistæ Institutione habemus ex Martyrologio D. Hieronymi lingua Syrā, cuius ille erat peritissimus, conscripto; ergò D. Marcus Euangelista asseruit, & propagauit Mysterium Immaculatę Conceptionis, seù Marianę Pręseruationis.

71 MATTHAEVS Cantacuzenus Sapientissimus Græcorum Imperator plura dedit, eaque lu-

culentissima pro Mariana Præseruatione testimonia; Nam primò in c.2.Cant. sic loquitur de Beata Virgine. „ Virgo omni ex parte labis expers tan-
„ quã purissimum Templum in Dei electa est Do-
„ micilium. Et in c.4.considerans totius labis expertem Deiparam, totius Orbis Causam fuisse salutis, ad ipsam diuino succensus Spiritu exclamauit dicens. „ Tota pulchra es Amica mea, & macula
„ nō est in Te. At quomodo fuisset B. Virgo omni ex parte labis expers, quomodò totius labis expers, purissimum Templum; tota pulchra, & sinè macula, si vel in momẽto fuisset infecta labe originali, deturpata per maculã primigeniã, Quid? Quòd eadem Beatissima Virgo eodem Comm. in Cant. appellatur à Sapientissimo Imperatore, „ Ars tu-
„ ta, nullis omninò hostium insidijs patens, Turris
„ inespugnabilis, nullis vnquam exposita insidijs;
„ Ramus, qui ex radice omni gratia refertus ascen-
„ dit: Quæ omnia Marianam Præseruationẽ importare, benè ponderanti patet.

Possem hic & locupletissimum testem Marianę Præseruationis Marcum Maximum Cæsaraguſtanum Episc. afferre, sed quia eius verba mox suprà retuli fol.272. non est, cùr eadem repetendo, molestiam creem Lectori meo.

72 S. METHODIVS Olympi Lycię primùm, posteà Tyri Episcop. Sententiam suam pro Immaculata Conceptione Mariana, Orat. seù, Fragm. de Purificat. sic expressit. *Sancta prorsus Maria etiam antequam pareret.* & Ibidem; *Beata es Tu in generationibus inter Mulieres omnes Deo maximè fælix.*

Si

Si B. Virgo antequam pareret, est prorsus Sancta, ergò fuit Sancta sanctitate Originali, aliàs nō fuisset prorsus sancta; & si inter omnes Mulieres est maximè fœlix, ergò caruit infœlicitate Originali, quæ est effectus Peccati Originalis, atque adeò caruit ex mente S. Methodij Peccato Originali in sui Conceptione, quando solet à cæteris Mulieribus contrahi.

N

73 S. NICEPHORVS Patriarcha Constātinopol. in Epist. 3. ad Leonem Pontificem, suam ergà Immaculatam Conceptionem, Pietatem his verbis expressit, *Inhabitans enim in utero Sanctissime, incontaminate Dei Genitricis Virginis, & in Anima, & in Corpore premundata spiritu*. At B. Virginē fuisse & in Anima, & in Corpore præmundatam Spiritu, idem est, ac speciali Spiritus Sancti Gratia fuisse Præseruatam à Peccato Originali, ergò B. Virgo fuit Præseruata à Peccato Originali ex mente S. Nicephori.

74 S. NICOLAVS Miræ Episcop. Sanctitate iuxtà, ac Doctrina Miraculorum gloria illustris Elsino Abbati è Maris tempestate ope B. Virginis erepto, Festum Immaculatæ Conceptionis 6. Idus Decembris solemniter celebrandum, denunciauit. Ità refert Petrus de Natalibus in Catal. SS. lib. 1. c. 42, & Arnoldus Vuion lib. 5. Ligni Vitæ c. 103. quo sanè facto ostendit, singularē sui, dùm viueret, ergà Immaculatam B. Virginis Cōceptionem, affectum,

à qua electus piè creditur ad illud munus obeundum, quod in Honorem Immaculatæ Cõceptionis redundabat.

O

75 ORIGENES Leonidis Martyris filius, & PP.Græcorum Doctissimus haud obscura pro Immaculata Cõcept. reliquit testimonia. Nam Primò Hom.1.in Matth.ait. *Audite omnes filię Euę,& lętamini; audite, quòd Virgo concipiet, non ex desiderio partum concipiens, quę neque persuasione serpẽtis decepta est, neque afflatibus eius venenosis infecta.* Sed venenosi serpentis afflatus Peccatum sunt Originale, ergò ex mente Origenis B.Virgo non fuit infecta Peccato Originali. Deindè eadem Homil.ad D. Ioseph Mariæ Sponsum sic loquitur; *Accipe eam sicut commendatum cęlesti Thesaurum, sicut Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam Iustitiam.* At hæc Encomia vel non possunt aptari B. Virgini Maculatæ Peccato Originali in sua Conceptione, vel longè meliùs aptantur, si ponatur Præseruata à Peccato Originali in sui Conceptione, ergò ex mente Origenis B. Virgo Præseruata fuit à Pecc.Orig.

76 B.ORINGA Ord. Eremit.S.Augustini de Festo Immaculatæ Conceptionis celebrato solemniter in Cœlò à Christo Domino edocta, huiusmodi Festum solemniter colendum in Cænobio à se fundato, & solemniter celebrandum quotãnis perpetua lege sanxit.

77 Pau-

P

77 S. PAVLVS Apostolus Vas Electionis Prædicator Veritatis, & Doctor Gentium ad tertium vsque Cœlum elatus vidit Arcana Dei; fortassè & hoc Arcanum Marianæ Præseruationis peruidit, contemplatus est: Et quidem in ea, quam ad Romanos scripsit, Epistolà, non obscurè hoc Mysterium iuxtà Pium sensum videtur insinuare, nam cap. 5. eius Epist. descripta genealogia peccati Originalis simul cùm Morte in omnes trãsfusa, atque translata, subiungit, & ait. *At non vt delictum, ità & Donum, si enim vnius delicto mortui sũt multi, multò magis Gratia Dei, & Donum in vnius Hominis Iesu Christi gratia in multis abundauit.* & post pauca. *Et non sicut per unũ, qui peccauerat, venerat Mors, ità & Donum.* Denique paucis alijs interiectis. *Etenim si per unius delictum mors regnauit per unum, multò magis, qui exuberantiam Gratiæ, & doni Iustitię accipiunt in uita regnabunt per unum Iesum Christum.*

Quibus verbis S. Apostolus reiteratis vicibus asserit notabilem fuisse differentiam, & diuersitatem inter Adæ Peccatum, & Christi Gratiam, itàut maior quidam excessus, abundantia, & exuberantia fuerit Gratiæ Christi super Peccatum Adæ, quatenùs, efficacior, & validior fuerit Gratia Christi, quã Adæ peccatum, vt eleganter ad rem nostram asseruit S. Leo Papa Serm. de Passione Dom. *Validius donũ factum est libertatis, quàm debitum seruitutis;* Plus ergò potuit, & valuit Gratia Christi, quàm

Adæ

Adæ peccatum,potentius fuit remedium,quàm venenum.Remanet vt videamus,vt ſcrutemur,in quo conſiſtat illud plus,illud maius, quod potuit Gratia ſuprà Peccatum; præcepit enim Chriſtus Apoſtolis,& per Apoſtolos nobis.Ioa.5.vt ſcrutemur ſcripturas, & non illas curſim, & oſcitanter percurramus.

Reſpondent ergo aliqui, Plus potuiſſe, plus valuiſſe Gratiam Chriſti, quàm peccatum, quia vno Adæ peccato mortui ſunt omnes; At Chriſti Gratia non ſolùm vnum, ſed & omnia peccata delentur,quæ voluntariè ſunt addita,& ſi adderentur infinita, omnia per Chriſti Gratiam delerentur. Et quidem hæc Reſponſio, & explicatio videtur eſſe ſatis conformis textui, ait enim; Iudicium quidem ex vno in condemnationem; Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.

Sed contrà videtur eſſe, quia licèt Adæ peccatũ actu vnum fuerit, virtute tamẽ multiplex eſt, ideoque dicitur originale,quia multorum origo eſt peccatorum,vndè deducta eſt Regula S.Auguſtini lib. 5.cont.Iulian.c.5.in ijs reperiri peccata actualia, in quibus fuit originale.

Reſpondent ſecundò Alij; Valentiorẽ, & efficaciorem fuiſſe Chriſti Gratiam,quàm peccatũ Adæ, quia plura dona cõtulit nobis Gratia Chriſti, quàm intulerit damna Adæ peccatum; Adæ enim peccatum intulit ſolùm nobis damnationem, & mortem, Gratia verò Chriſti non ſolùm iuſtificationem nobis contulit, & vitã, ſed alia quàm plura bona, nam fecit nos hæredes ſuos, aperuit ianuam Regni Cæleſtis.

lestis, merita omnia, & opera bona donauit. Itē Chrysost. Homil. 10. in cap. 5. ad Rom. „ Nam & „ supplicio liberati sumus, & vitiositatem omnem „ deposuimus, & de integrò regenerati sumus, & „ resurreximus sepulto vetere Adam, & redempti „ sumus, & sanctificati, & in adoptionem adducti, „ & prætereà iustificati, & Fratres effecti Vnigeni- „ ti, & cohęredes, & in eandem Corporis vnitatem „ reducti, & in ipsius carnem censemur, atque vt Corpus Capiti, sic illi vniti sumus.

Sed contrà videtur esse, quia omnes huiusmodi effectus oppositos fecit peccatum, & tot mala opposita intulit Humano Generi, quot bona intulit Christus per Gratiam, Nam peccatum non solùm nobis damnationem intulit, & mortem, sed etiam nos exclusit à Fraternitate Christi, à cohæreditate, ab vnione cùm ipso tanquam cum Capite, clausit Ianuam Regni Cælestis, multa demerita, & mala omnia, quæ in in dies patimur, importauit, ergo nō videtur ea Responsione sufficienter explicari efficacia maior Gratiæ Christi suprà peccatum Adæ.

Videtur dicendum. Maiorem fuisse efficaciam Gratiæ Christi suprà peccatū, quia Peccatū Originale omnes Adæ Posteros eodem modo infecit, æqualiter omnes, & non magis vnum, quàm alium condemnauit, vt docet D. Anselmus de Pecc. Origin. c. 26. At Gratia Christi non omnes eodem modo iustificauit, seù æqualiter sanctificauit, ideò ait Glos. ord. ad illa verba Pauli. „ Per vnum delictū „ Adæ, quo multi, id est similiter præuaricātes mor- „ tui sunt, sed Gratia Christi in plures, quia & in

„ non similiter præuaricantes. Gratia ergo Christi non omnes eodem modo, & æqualiter iustificat, & sanctificat, non eodem modo saluat, nam aliquos à captiuitate iam incursa eripit, alios nè in captiuitate incurrant, præuenit, vt B. Virginem, & Angelos, in quam rem Audi S. Ambrosium in Psalm. 118. ad illa verba Miserere mei secundum eloquiũ tuum; Aliter eget Iustitia Dei Angelus, aliter Homo; aliter eget misericordia Archangelus, aliter Homo; Angelica enim natura non ità corruptelæ subiecta est, vt natura Generis Humani, & ideò eget illi, Misericordia Dei, nè possit errare, & euersa à se Dei Gratia labatur in vitium, Homo autem, & si iam firmiori proposito est, tamen propter contractorum seriem Peccatorum misericordiam Dei quærit; Itaque etsi misericordia Dei vterque indiget, aliter tamen Homini, aliter Angelo misericordia debetur.

Secundo modo potest rationabiliter dici, quòd plus potuit, & valuit Gratia Christi, quàm Adæ peccatum; quatenus Adæ peccatum non se extendit ad omnes omninò in rigore Mathematico, & sinè vllà exceptione; è contrà Gratia Christi ad omnes omninò se extendit, nulla addita exceptione; ità hunc D. Pauli locum intelligit D. Dionysius Carthusianus. *Peccatum se extendit ad omnes, excepta B. Virgine; at Gratia Christi se extendit ad omnes Electos.* Vbi vides ex D. Dionysij Carthusiani mente, Gratiam Christi se extẽdisse ad omnes electos nullo excepto, non excepta B. Virgine, quam in priori verborum clausula exceperat à peccato

ori-

originali, de quo ibi loqui Apostolum fatetur D. Thomas in Comm. ad eum locum.

Et quidem hæc expositio fundamentum habet in ipso contextu eius Epistolæ; nam infrà primò subdit Apostolus, vnius delicto multos esse mortuos; ergò quando dicit suprà, peccatum transisse in omnes, per, omnes, intelligit, Plures, seu multos, ita ut aliquis sit exceptus, nempè B. Virgo: Subdit secundò; sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi, ità per vnius obeditionẽ iusti constituentur multi. At per vnius obeditionem non ità iusti constituti sunt multi, vt aliquis non sit constitutus iustus, ergò per vnius inobedientiam non ità multi constituti sunt peccatores, vt aliquis non sit constitutus peccator, & iste aliquis sit B. Virgo.

Ità hunc locum litteraliter intelligit Petrus de Simãcas Cathedræ Primariæ S. Scripturæ in Con. Granaten. moderator, & pro se adducit Magni nominis Theologos, vt in suo Libello Impresso Matriti Anno 1640. fol. 38. & seqq. Ibi etiam latè ostẽdit terminum, Plures, substitutum pro, omnes, accipi comparatiuè, ità vt sensus sit; In plures abundauit gratia, quàm peccatum, quia nimirum in aliquo idest, B. Virgine fuerit gratia, & non peccatum.

Ex his ergò patet, quòd D. Paulus rectè, & ritè intellectus cap. illo 5. Epist. ad Rom. fauorabilis fuit Marianæ Præseruationi.

78 B. PETRVS Cellensis satis apertum pro Mariana Præseruatione dedit testimonium Epist. ad Nicolaum Albanum his verbis. *Non erat ab ini-*

tio Natiuitas B.V. in Ecclesia Dei solemnis, sed crescente Fidelium deuotione, addita est pręclaris Ecclesię Solemnitatibus: Quare igitur non similiter & Diem Conceptionis obtineat sedulitas Christianę deuotionis, ad quod ego Cataractas Cæli & fontes Abyssi libentiùs in obsequium Virginis soluerem, quàm clauderem; & si Filius eius Iesus aliquid omisisset in prerogatiua exaltationis suę Matris, ego seruus, ego mancipium non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem: mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contrà Dominam nostram; antè eligerem non habere Animam, quàm velle extenuare eius gloriam: licuit ergò, & semper licebit; Sponsam Christi Ecclesiam, quę in terris peregrinatur, secundùm mutationes rerum, personarum, & temporum variare rationes Decretorum, noua adinuenire medicamina remediorum, & statuere Sanctis adeptione glorię frequentiam solemnitatum. Deindè Epist. 10. sic clariùs, & apertiùs protestatur. „ Credo, dico, „ assero, & iuro, Beatissimam Virginem nostram in „ æterna Prædestinatione singulari Priuilegio mu„ nitam, nec à sua Conceptione in aliquo violatã, „ sed semper mansisse, & permansisse illibatam, si„ cut Beata vltrà humanam, & cæterorum hominũ „ naturam, sic secreta, & incognita manet vltrà „ omnium notionem.

79 S.ETRVS Damiani Episcopus Hostiens. S.R.E. Card. Marianam Præseruationem nõ semel asseruit: Nam Primò Serm. de Assump. sic loquitur. *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adę non admisit.* Ergò ex mente D. Petri Damiani B. Virgo

Præ-

Præseruata est ab Adæ maculis, seù à Peccato Originali: Deindè ibidem dicit. *Germinat* Virga *Iesse de tortuosa* Humani Generis *radice*, *& de Patriarcarum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem.* Sed B. Virginem ignorare omnem nodositatem, est ignorare Peccatum Originale, quod à Turrecremata, seù Spina de Verit. Conceptionis c.24. ideò dicitur Nodus, seù nodositas, quia ipso tanquam ligatura vinctum tenetur genus humanum; ergò B. Virgo præseruata est à Peccato Originali: Tertiò Serm.3. de Natiuit. ait. „ Quid Sanctitatis, quid Iustitiæ, quid perfe„ ctionis huic Virgini deesse potuit, quę totius di„ uinæ gratiæ Charismate plena fuit? At quomodo B. Virgo fuisset plena Charismate totius diuinæ gratiæ, si defuisset illi gratia præseruatiua ab Originali? Et qua ratione nil sanctitatis, nil perfectionis, nil iustitiæ illi defuisset, si illi defuisset sãctitas, perfectio, & iustitia originalis? Ergò ex mente S. Petri Damiani B. Virgo fuit præseruata à Peccato Originali.

80 S. PETRVS Chrysologus Episc. Rauenn. pro Mariana Præseruatione sic loquitur Ser. 140.
„ Peruolat ad Sponsum festinus Interpres, vt
„ à Dei Sponsa humanæ desponsationis arceat,
„ & suspendat affectum, neque auferat à Ioseph
„ Virginem, sed reddat Christo, cui est in vtero
„ oppignorata, dum fieret. Dum ergò fieret B. Virgo, seù eius Anima crearetur, fuit Christo oppignorata, ergò nullum in ea locum habuit Originale Peccatum, dum conciperetur.

81 Pe-

81 PETRVS Comestor Presbyter Trecensis Serm. de Concept. Impresso Antuerpiæ An. 1533. Marianam Præseruationem his fermè Argumentis probat. „ Si Christus ab Adam solam naturam,
„ & nullam prorsus culpam suscepit, verisimile est,
„ vt & Mater Christi solam carnem, & nullam
„ penitùs culpam à Parentibus contraxerit, præ-
„ sertim cum vna, & eadem caro sit Matris, & Fi-
„ lij, & qualis Agnus, talis & Mater Agni. & paucis interiectis ad illa verba, Sanctificauit Tabernaculum suum altissimus ait. „ Sanctificauit à fun-
„ damento operã dans ędificio, alioquin si corru-
„ ptum esset fundamentum, omne superpositum
„ nutaret ędificium.

82 S. PHILOTHEVS Patriarcha Constantinop. in Menæis ode 8. die 16. Iulij Marianam Præseruationem his verbis asseruit. *Tota pulcha es, ò Virgo, planè tota pulchra, tota nil nisi nitor, & species lucis, tota ità Phosphorus diem, ac Deum afferens stella.* Planè B. Virgo non esset tota pulchra, tota lucida, si aliquam habuisset partem tenebrarum, quia secundum diuinum Euangelium Lucæ 11. Si corpus tuum totum lucidum erit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, ergò B. Virgo non habuit Peccatum Originale, aliàs habuisset aliquam partem tenebrarum, & sic non fuisset tota lucida, non fuisset tota, nil nisi nitor, & species lucis, vt ait S. Philotheus.

83 S. PROCVLVS, seù Procus Constantin. Episcop. in Orat. de Natiu. Christi Marianam Præseruationem his verbis declarauit: *In Architecto*

nullam

nullam maculam aspergit, si domum, quàm constru-xerat, incolat; quam ergò sinè vlla labe formauerat, &c; ergò ex mente S. Proculi B. Virgo formata, & creata est sinè vlla labe, ergò Concepta sinè labe Originali, Cōceptio enim hìc sumitur pro creatione Animæ.

R

84 B. RAIMVNDVS Iordanus, cognomēto Idiota, Marianam Præseruationem non semel asseruit. Nam primò in Lib. de Cōtemplat. B. Virginis c. 6. ad illa verba, Inuenisti Gratiam sic loquitur. *Inuenisti Virgo Maria Gratiam cælestē, quia fuerūt in Te ab originali labe præseruatio, Angelica salutatio, & Verbi Dei Conceptio.* Deindè c. 2. ad illa verba Tota pulchra es, ità loquitur. *Tota pulchra es, ò quàm Gloriosa Virgo Maria, tota pulchra per charismatum omnium perfectam pulchritudinem, tota pulchra es in tua Conceptione, ad hoc effecta, vt Templum esses Dei altissimi.*

85 RICCARDVS de S. Victore 2. p. exposit. Cant. c. 26. hæc habet pro Mariana Præseruatione. „ Tota fuit pulchra, quia totam possedit Gratiam, „ quia nullum in ea locum habuit Peccatum; Quid clarius; Præthereà Riccardus Festum Conceptionis celebrandum docuit, specialem sermonem de eo habuit, fauentissimum se Marianæ Præseruationi asseruit; vt fatetur Durand. in. 3. d. 3. q. 1.

86 RICCARDVS de S. Laurentio Libr. 1. de laudib. Mariæ ait. „ Per hoc, quod Mariæ dictum est

„ est, Aue, idest sinè omni Væ, denotatur, immuni-
„ tas ab omni Peccato, vndè ei dicitur Cantic. 4.
„ Tota pulchra es Amica mea, & macula non est
„ in Te. Si ergò asseritur in B. Virgine immuni-
tas ab omni Peccato, asseritur immunitas à Pecca-
to Originali.

S

87 S. SABBA in Menæis Græcorum die 4. Ian. ode 3. pro Immaculata ità pronũciat. „ In Te, quę nulli vnquam Culpę affinis fui-
„ sti, spem omnem meã repono; nemo vt Tu, Do-
„ mina, inculpatus ęquè, nec præter Te intamina-
„ tus quisquam, ò nulli næuo subiecta. Ode 9. Tu,
„ ò macularum omniũ semper expers, Ligno Vi-
„ tæ simillima, non alium fructum germinasti, quã
„ Christum, qui omnibus ad vitam aperit aditum.
Denique die 12. Febr. ode 1. „ Propter charisma-
„ mata, & gratiæ dona, quæ Te ab omni næuo im-
„ munem fecerunt, manifestè digna fuisti tãti par-
„ tus honore. Si ergò B. Virgo, & nunquam, & nulli Culpæ affinis, si ab omni næuo immunis; si macularum omnium expers est ex S. Sabba, ergò ex eius mente præseruata fuit à næuo Originali in sui Conceptione.

88 SOPHRONIVS in Serm. seù Epistola ad Paulam, & Eustochium ità pro Immaculata loquitur. „ Benè Gratia plena, quia cæteris per partes
„ præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit Gra-
„ tiæ plenitudo. Verè plena, quia etsi in SS. PP. &

Pro-

„ Prophetis Gratia fuisse creditur, non tamen ea-
„ tenus plena, in Mariam verò totius Gratiæ, quæ
„ est in Christo, plenitudo venit, quamquam ali-
„ ter; & ideò, inquit, Benedicta in Mulieribus,
„ idest, plùs benedicta, quàm omnes Mulieres;
Si Gratia, quæ est in Christo, fuit in Maria, sicut Christus fuit immunis ab Originali, ità & Maria, quamuis aliter, & diuerso modo, quia Christus ex vi naturalis suæ generationis; Maria verò speciali Gratia; & Priuilegio. Et nonnullis interiectis ità loquitur Sophronius. „ Quidquid in ea gestũ est,
„ totũ puritas, & simplicitas, totum Veritas, & Gra-
„ tia fuit; totũ veritas, & iustitia, quæ de Cœlo pro-
„ spexit, & ideò Immaculata, quia in nullo corrup-
ta; Si totũ, quod fuit in Virgine, fuit gratia, ergo in ea locum non habuit Peccatum Originale; & si in nullo est corrupta, ergò Præseruata fuit ab originali ex mente Sancti Sophronij, à quo omnis corruptiò.

89 Venerabilis SEDVLIVS Doctor Illustris, & suo tempore Poeta celeberrimus pro Mariana Præseruatione in Opere Mirabilium Diuinorum lib. 1. ità non minùs eruditè, quàm deuotè cecinit,

VT VNDE

Culpa dedit Mortem, Pietas daret inde Salutem
Et velut è spinis mollis Rosa resurgit acutis
Nil, quod lædat, habens, Matrẽq; obscurat honore.
Sic Euæ de styrpe sacra veniente Maria

 Vir-

Virginis antiquę facinus noua Virgo piaret
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset Homo, & veteris maculã deponere carnis.

Sicut ergò sinè spinis nascitur Rosa, ità sinè Peccato Originali per Venerabilē Sedulium Concepta est B. Virgo.

90 S.STEPHANVS Sabaita in Menæis Gręcorũ die 1. Ianuarij Ode 1. insigne reddidit Marianæ Præseruationis testimoniũ illis verbis „ Te, inquã, ô benedicta, & ab omnibus maculis munda, „ velut Deiparam magnificis extollemus laudibus. Si B. Virgo est ab omnibus Maculis munda, ergò munda à macula Originali ex mente Sancti Stephani Sabaitæ.

T

91 S. THEOPHANES Abbas præclara, & & illustria reliquit Marianæ Præseruationis testimonia: Et primò quidem in Hymno de Annunc. ità loquitur. „ Inuenisti Gratiam „ apud Deum, quam inuenit nulla alia quæpiam, „ ô Immaculatissima. Deindè in Menæis die 23. Febr. ode 4. ità exclamat. „ O à cunctis sordibus „ incontaminata, & super omnes inculpatos, in„ culpatissima. Sed B. Virginem inuenisse Gratiam, quam nulla alia quæpiam inuenit, est, inuenisse Gratiam Præseruatiuam ab originali; & fuisse à cunctis sordibus incontaminatã, nil minus importat, fuisse incontaminatam ab originali, ergò ex mente S. Theophanis Beata Virgo fuit præseruata à Peccato Originali.

92 S.

92 S. THEODORVS cognomento Nouus Conf. in Orat. de Natiuit. B. Virg. repetitis vicibus Marianam Præseruationem sic expressit. „ Aue „ Terra, in qua Peccati spina, non orta est; Aue ru- „ bus, quem peccati rubigo non tetigit, nam & plã- „ ta fuit intacta. Aue Vrna confectum ex auro Vas, „ quam nulla delicti labes infecit. Aue Liber signa- „ te sigillis septem, quem nulla excogitabilis corru- „ ptela commaculat. Aue Codex nouus, quem nul- „ la prorsus attigit corruptio. Aue Lignum impu- „ tribile, quæ ad peccandũ paruæ corruptionis ver- „ men, non admisit. Si ergò B. Virgo est Terra sinè spinis, Rubus sinè peccati rubigine, Vas aureũ sinè vlla labe, Codex sinè corruptela, Lignum imputribile sinè verme corruptionis; quomodo potest esse in sui Conceptione infecta Peccato Originali, quod est spina, Rubigo, corruptela, corruptio?

93 S. THEODOTVS Ancyrę in Galatia Episcop. Orat. de Natiu. Saluatoris, quę habetur in Cõcil. Ephesino c. 10. pręclarũ dixit pro Mariana Pręseruatione testimonium his verbis. „ Dic obsecro „ vtrum est vilius, Rubus nè, An Vterus Virginis ab „ omni affectione immunis? Ergò Beatissima Virgo fuit immunis ab Originali infectione, aliàs non benè à S. Theodoto diceretur immunis ab omni Peccati affectione.

94 THEODORETVS Cyrinensis Vrbis Episcopus lib. 3. in Cant. cap. 6. Marianæ Præseruatiòni subscripsit his verbis. „ Vt electa Columba est „ vna illa sola, quæ Christum genuit, Mater puella „ Maria, quæ Puritate profectò Cherubim, & Sera-

„ phim antecellit? At si B. Virgo contraxit in sui Conceptione Originalē impuritatem, non antecelleret Seraphim, & Cherubim Puritate, ergò B. Virgo ex mente Theodoreti Præseruata fuit à Peccato Originali.

95 S. THERESIA duo Monasteria in Honorem Immaculatę Conceptionis Marianæ erexit; Ordinis Carmelitani PP. Discalceatorū à se fundatis Lectoribus Scholasticis præcipit, vt in omnibus Doctrinā D. Thomæ sequerentur, præterquam in Articulo de Maculata Conceptione; sensit ergo S. Theresia, B. Virginem fuisse pręseruatam à Peccato Originali.

96 TIMOTHEVS Constantinopolit. Pręsbyter Marianam Præseruationem asseruit Orat. de S. Simeone his verbis; *Vnde etiam super omnes inculpata, & omnibus modis Sancta Virgo per illum, qui domicilium habuit in ea vsque adhuc immortalis est.* Ibidem in fine Orat. *Virginem appellat suprà quam dici potest, Immaculatam, omnibusque modis Sanctā.* Et quidem si Timotheus diceret, B. Virginem non omnibus modis Sanctam, non super omnes inculparā, arguerent, & valdè efficaciter Aduersi. B. Virginem caruisse Sāctitate Originali, & habuisse culpam originalem, ergò quia Timotheus dicit, B. Virginem omnibus modis Sanctam, super omnes inculpatam, benè, & valdè efficaciter arguimus, non caruisse sanctitate originali, & Præseruatam fuisse à Culpa Originali.

97 S. THOMAS Villanouanus Archiepiscop. Valent. non semel Marianam Præseruationem cō-

tex-

textatus est. Et quidem Serm. 1. de Assumpt. sic loquitur. „ Eccè Turris inexpugnabilis, quæ nunquam diabolo præstitit Tributum , aut Fidem. Ibidem nonnullis interiectis . „ O quàm fortissima illa Anima Sacratissima , quam nullis fraudibus, nullis impulsibus dæmon valuit expugnare, „ huius enim Castelli, nunquam vel vnam pinnam „ dæmon valuit expugnare. Si S. Thomas dixisset B. Virginem aliquando præstitisse Tributum diabolo, & Castelli Virginei saltem vnam Pinnã fuisse expugnatam, inferrent Aduers. & valdè efficaciter, B. Virginem aliquando subiacuisse peccato originali; At quia S. Thomas dicit, B. Virginem nunquam diabolo præstitisse Tributum, nunquam vel vnam Pinnã Castelli Virginei à diabolo expugnatam, benè, & efficaciter arguimus, Beatã Virginem ex mente S. Thomæ nunquam habuisse Peccatum Originale .

Verùm non possum non afferre hìc, Pie Lector, quædam alia D. Thomæ Villanouani verba , fauentissima Marianæ Præseruationi, quę habentur Ser. 2. de Natiu. B. Virg. vbi quærens, cùr Spiritus Sanctus per Euangelistas in Scripturis Sanctis nullam fecerit mentionem de eius Conceptione, Natiuitate, Educatione, & similibus, ità respondet. „ Non „ eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed Tibi „ eam animo depingendam reliquit, vt intelligas „ nihil illi gratię, aut perfectionis, aut glorię, quam „ minus in pura Creatura concipere possit, defuisse, „ imò reipsa intellectum omnem superasse; Quid „ amplius quæris? Quid vltrà requiris in Virgine suffi-

„ ſufficit Tibi, quòd Mater Dei eſt; Quænam, obſe-
„ cro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio,
„ quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit?
„ Solue cogitationibus habenas, dilata intellectui
„ fimbrias, & deſcribe apud Te in Animo, Virginē
„ quandam Puriſſimam, Prudentiſſimam, Pulcher-
„ rimam, Deuotiſſimam, Humillimam, Altiſſimam,
„ omni Gratia plenam, omni Sāctitate pollentem,
„ omnibus virtutibus ornatam, omnibus Chriſma-
„ tibus decoratam; Quantum potes, tantum auge,
„ quantum vales, tantum aude; maior eſt iſta Vir-
„ go, ſuperior eſt iſta Virgo. An hæc verba Macu-
latam fuiſſe in Conceptione B. Virginem admittāt,
Aduerſarij, vel ipſi ſint Iudices.

98 S. TYRVS Boſtrenus Epiſcopus, ſeù alius quicunque Illuſtris Auctor Comm. in cap. 1. Lucæ. appellat B. Virginem, *Inculpatiſſimam*; ſeù, vt tex. Grȩcus habet; omnibus modis inculpatam; ſi S. Tyrus appellaſſet B. Virginem nō omnibus modis inculpatam benè inferrent Aduerſ. eam eſſe infectā culpa originali in ſui Concept. At S. Tyrus dicit, fuiſſe inculpatā omnibus modis, ergò ex his verbis benè, & valdè efficaciter, deducitur, B. Virginem caruiſſe in ſui Conceptione culpa Originali.

V

99 S. VINCENTIVS Ferrerius Ordinis Dominic. duo habet ſatis clara, & luculenta pro Mariana Præſeruatione teſtimonia. Primùm quidem in Serm. de Conceptione vbi ait.

Quan-

Quando Corpus B. Virginis fuit perfectè organizatum, & Anima illi coniuncta per Creationem, tunc Altissimus Sanctificauit Tabernaculum suum. Ergò si in eodem instanti Corpus B. Virginis fuit organizatũ, & Anima illi cõiuncta, & sanctificata, ergò Præseruata fuit à Peccato Originali. Alterum testimonium habet S. Vincentius Serm. 2. de Natiu. vbi ait. *Nè credatis, quòd fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nutrimur, sed statim ac Anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in Cælo fecerunt Festum Conceptionis.* Si S. Vincentius dixisset, quòd Angeli in Cœlo fecissent Festum Sanctificationis, inferre se satis efficaciter existimarẽt Aduers. B. Virginem fuisse Maculatam Peccato Originali: At modò S. Vincentius dixit, quòd Angeli fecerunt Festum Conceptionis, ergò benè, & efficaciter inferimus, Beatam Virginem nõ fuisse Conceptam in Peccato Originali.

D.THO-

D. THOMAS AQVINAS

DOCTOR ANGELICVS, ET PRAECLARISSIMVS, S. ECCLESIAE LVMEN, REGNI NEAPOLITANI, ET ITALIAE NOSTRAE DECVS EXIMIVM, ORDIN. DOMINIC. SYDVS FVLGENTISSIMVM.

100 IRREFRAGABILE S. Thomæ pro Mariana Præseruatione testimonium ad postremum hunc Locum paululum immutato ordine seruaui, vt huic Sacræ Centurię SS. PP. pro Coronide inseruiret Auctoritas tanti Doctoris, cui primas semper Partes detulit Ecclesia Catholica in Controuersijs ad Fidem spectãtibus, præsertim in præsenti de Immaculata Conceptione, seù Mariana Præseruatione.

Et quidem quid in subiecta Materia D. Thomas senserit, Controuersia est, ferè æquali contentione, & Zelo agitata, ac ipsa Capitalis Quæstio de Immaculata.

Qui ergò tenent Sententiam Affirmatiuã Peccati Originalis in B. Virgine, qui se D. Thomæ Discipulos, Interpretes, Commentatores, & eiusdem Ordinis, ac Instituti cùm illo esse gloriantur; eius

Sen-

Sententiæ Ducem, & Antesignanum faciunt D. Thomam. Verùm & hi varij sunt, & inter se omninò diuisi; nam Ioannes Capreolus, qui dictus est Anima D. Thomæ, eo quòd penitiùs alijs omnibus D. Thomæ mentem fuerit assecutus; tenet, D. Thomam non semper stetisse pro Affirmatiua, sed aliquando docuisse, nimirum in 1. Sententiarum, Beatam Virginem nunquam subiacuisse Peccato Originali; ità Capreolus in 3. d. 3. q. vn. in fine; sequuntur Syluester de Prierio ibid. Franciscus Arauxo in 1. 2. q. 81. fol. 417. Ludouicus Sotomaior in Cant. fol. 951. ad illa verba. Tota pulchra es. Paulus de Carraria Regul. 4. Art. 3. num. 22. fol. 195. Alij autem communiter omnes Affirmatiuæ Defensores mordicùs tenent; Semper, & vbiuis D. Thomam stetisse pro Affirmatiua.

Pariter qui Negatiuam Sententiam Peccati Originalis in B. Virgine defendunt, & tuentur varij sunt, & diuisi inter se; Nam

Primò Aliqui vltrò admittunt: D. Thomam stetisse pro Affirmatiua, eò quod quàm plura, eaque apertissima loca adducuntur pro illa, quæ videsis exactissimè, & diligentissimè collecta apud Petrum de Alua in suo Sole Verit. & Ventil. num. 296. Ità Petrus Hyspanus in suo Tract. de Concept. B. Virgin. Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. punct. 2. fol. 364. Pesantius 1. 2. q. 81. Art. 1. disp. 4. & alij.

Hi tamen omninò persuadere conãtur; Nequicquam officere Marianæ Præseruationi, quòd Diuus Thomas fuerit pro Affirmatiua, & Contraria Sentẽtia, quia vel nullum, vel valdè leue piaculum existimant

ſtimant, aliquando, & in hac materia præſertim recedere ab opinione D. Thomæ; Primò quia Thomiſtæ vel ipſi aliquando ab opinione D. Thomę recedunt, vt patet de Magiſtro Victoria, cuius verba relata habes apud Canum lib. 12. de locis in Proæmio. Victoriæ ſubſcribit idem Canus lib. 9. de locis cap. 7. Idem aliquando præſtitiſſe Caietanum monet Catharinus in Opuſc. de Concept. lib. 1. & de Durando eſt inconfeſſo. Secundò, quia D. Thomas & ipſe aliquando receſſit à pluribus Doctoribus, præſertim à S. Ioanne Chryſoſtomo Homil. 45. in Matthæum; vbi videtur, ponere peccatum vanagloriæ in B. Virgine, dicit enim D. Thomas 3. p. q. 27. ar. 4. D. Ioannem Chryſoſtomum in hoc exceſſiſſe; & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 23. definit, B. Virginem non peccaſſe venialiter per totam vitam. Tertiò quia iã Eccleſia tùm in alijs materijs, tũ in materia præſenti de Immaculata Conceptione in aliquibus non eſt ſecuta D. Thomam. Et quidem in alijs materijs, patet, quia Eccleſia diſpenſauit in Voto ſolẽni Religionis, vt patet ex Decreto Bonifacij VIII. de Voto, & Voti Redempt. & tamen D. Thomas 2. 2. q. 88. Art. 7. docuerat, tale Votum eſſe indiſpenſabile. Definiuit Eccleſia; Clericum alterius interfectorem cum moderamine inculpatæ tutelæ non incurrere Irregularitatem, in Clementina vnica de Homic. c. Furioſus. Et tamen D. Thomas oppoſitum docuerat 22, q. 64. Art. 7. in Reſp. ad 3. & plura alia exempla videſis in opuſc. trium Art. Dominici Grauinæ Ord. Dominic. & in Theol. Mariana de la Vega tom. 1. Palæſtra 3. Certã. f. 14. n. 1 10.

Deindè in præsenti Materia de Immaculata Conceptione in aliquibus non est secuta Ecclesia D. Thomam, quia D. Thomas 1.2.q.81.artic.3. docet Secundum Fidem Catholicam firmiter esse tenendum, quòd omnes Homines præter solum Christũ ex Adam deriuati, ex Adam contrahunt Originale Peccatum, quæ tamen Doctrina non est acceptata ab Ecclesia, vt patet ex Bulla Sixti IV. definientis, quòd salua Fide Catholica potest teneri, quòd B. Virgo ex Adam deriuata, ex Adam non contraxerit Originale Peccatum. Iterum D. Thomas 3.p.q. 37.art.2. docet, celebrari Festum Sanctificationis potiùs, quàm Conceptionis in die Conceptionis; Hanc Doctrinam non est secutus Gregorius XV. qui in Bulla, *Sanctissimus*, præcepit omnibus, vt in Officio, & Missa celebraretur Festum Conceptionis sub nomine Conceptionis, & non sub alio nomine, quòd priùs antè Gregorium præceperat Sixtus IV. in priori Bulla, *Graue nimis*, directa Prouinciali Lombardiæ.

Secundò Alij Tenentes Negatiuam, volunt D. Thomam hac in re fuisse varium, Vtramque Sententiam problemmaticè sustinuisse, seù vtrique Sẽtentiæ locum dedisse. Ità Acernen. in suo Tract. c. 29. Ambrosius Pennalosa in Vindicijs disp. 11. cap. 11. Gulielmus Vorrilongus in 3. d. 3. & alij.

Tertiò Alii volunt, D. Thomam priùs fuisse pro Contraria, & Affirmatiuà Sententia, sed postmodũ se retractasse, & fauisse Negatiuæ. Ità Bernardinus de Busto, Nouarinus, Lezana, & alij referentes D. Thomam Episcopo Fantino apparuisse, & suam de

Maculata Conceptione Sententiam reuocasse, retractasse. Vitalis à Furno S.R.E.Card. in suo tract. de Concept.testatur. se vidisse Libellum Retractationis D.Thomæ,suam de Maculata Conceptione Sententiam retractantis; Itá demùm sentit Petrus de Alua in suo Sole Verit. veritate 161.vbi docet; Opus vltimum D.Thomæ fuisse Expositionē Epist. ad Galatas,in qua expositione c.3. Lect.6.D.Thomas facit Solemnem exceptionem Beatæ Virginis à Peccato Originali,& Veniali his verbis.*Excipitur Purissima, & omni laude dignissima B.Virgo Maria.* Et quamuis hæc verba in nouissimis Impressionibus non legantur, leguntur tamen in Antiquis, videlicèt;Parisina Anno 1541. 1529. Veneta Anno 1548.1553.1555.Et quod est valdè notandum,talis exceptio non potuit non apponi,quia ibi, vt patet manifestè legenti textum, loquitur S. Doctor explicitè non solùm de Peccato Originali, sed etiā Veniali; verba formalia textus sunt. *Mulierem autem ex omnibus non inueni, quę omninò immunis esset à Peccato Originali, vel Veniali; excipitur autem Purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.*

Nonnè minus cautè, & minimè ea, qua opus est, circumspectione locutus fuisset S.Thomas, si omisisset illam exceptionem,quando de Fide est,& tenet Ecclesia, B. Virginē immunem omninò fuisse à Peccato Veniali?ergò solemnis illa exceptio non potuit vllo modo prætermitti à S. Doctore.

Verùm ad vocem Retractationis recognitæ in D.Thoma horrescunt aures Moderniorum Thomi-

mistarum omnium, volunt enim S. Doctorem nunquam suas Sententias retractasse, aut reuocasse.

Sed immeritò ad vocem Retractationis huiusmodi Thomistarum Moderniorũ aures horrescunt, quia Antiqui Thomistæ vltrò in D. Thoma admittunt Retractationem; Capreolus in primis putat, D. Thomam in Lib. Sententiarum stetisse pro Negatiua, sed in Operibus suis, quæ posteà edidit, oppositum tenuisse, & scripsisse, quia etiam S. Augustinus (sunt verba Capreoli) fecit librum Retractationum, & ideò standum est vltimis determinationibus, & non primis. S. Antoninus 1.p. summæ c.1 §.3. loquens de Sententia eorum, qui tenebant per Circumcisionem, & alia sacrificia Veteris Legis deleri peccata, ait; vndè & D. Thomas, qui hoc dixit in 4. de circumcisione posteà retractauit in 3.p. sũmæ. Caietanus 3.p.q.17. artic.2.§. ad obiecta dicit, quòd Opinio illa D. Thomæ in q. de vnione Verbi, vt retractata censenda est. Dominicus Grauina in opusc. trium art. respondens Argumento facto contrà D. Thomam asserentem in 1.d.11.q.4.art.4. Patrem, & Filium in Diuinis posse dici duos Spiratores, cum oppositum sit definitum in Cõcil. Lugdun. ait. D. Thomas calumniarum ferulam præuenit, seipsum corrigendo. Hi, qui loca D. Thomæ concordant nu.1554. non verentur admittere, D. Thomã mutasse Sententiam in Partibus, quando erat Sacræ Theologiæ Magister, & Doctor, quamuis contrarium docuisset in libris Sententiarum, quandò erat Baccalaureus. Denique cùr ad vocem Retractationis adeò efferantur Discipuli, quandò Magister

ster ipse, & Præceptor Sanctissimus in Opusc.72. quod est de Cōcordantijs in principio protestatur: *Se renocaturum, quidquid in Operibus suis fuerit inuentum rationi contrarium, & minimè velle omnia sua ità accipi, vt sint prorsus infallibilia.* Et quidem meritò D. Thomas, si nunc viueret, posset ad Thomistas destectere verba D. Augustini ad suos Epist. 7. ad Marcel. *Vos autem qui me multum diligitis si talem me asseritis aduersus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, vt me nusquam meorum Scriptorum errasse dicatis frustrà laboratis, non bonam causam suscepistis; facilè in ea meipso Iudice superamini, quoniam non mihi placet, cùm à Carissimis meis talis esse existimor, qualis non sum, profectò enim non me sed pro me alium sub nomine meo diligunt si nō quod sum, sed quod non sum, diligunt.*

Quartò alij contendunt, opera omnia D. Thomæ fuisse vel malitia Hæreticorum corrupta, vel Amanuensium, aut incuria Typographorum deprauata, vt incertum omninò sit, non modo quid D. Thomas senserit, sed etiam quid scripserit in hac Materia. Ità Acernen. in suo tract. c. 29. Alua in suo Sole Verit. 296. Et sanè, quàm hoc probabile sit, ex eo licet conijcere, quòd cum à Magisterio D. Thomæ vsque ad inuentionem Typographiæ fluxerint duo sæcula, hoc tàm longo temporis spatio Amanuensiū incuria plures errores in Opera D. Thomæ irrepsisse, verisimile est. Imò pleraque Opera, quæ modò sub nomine D. Thomæ circumferuntur, verè D. Thomæ non esse, sed cuiusdam Thomæ Angli

notant

notant Antonius Senensis in sua Biblioth. fol. 239. 244. Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. Sac. in Thoma Anglico. Michael Pius p. 2. lib. 1. col. 80. sic Italicè loquentis. *E quiui notisi, che i Libri, oue si antepone la Stella non sono stimati da alcuni di S. Tomaso, mà di Fra Tomaso Inglese, detto communemente* Thomas Anglicus. *Il Castiglio dice, che questo Santo habbi composto sopra questi Libri sì, mà che le sue Compositioni non si trouino in luce, è che quelli, che communemente sono stimati suoi, siano del predetto Dottor Anglico, e che li Stampatori in vece del Dottor Tomaso Anglico, habbino posto il Dottor Tomaso Angelico.*

Quædam etiam Opera D. Thomæ nomine circumlata, esse Reginaldi, vel Thomæ de Suetonia, vel Andreæ de Andria, iidem Auctores referunt locis citatis: Denique Bellarminus de Script. Eccl. fol. 211. obseru. 3. notat, quòd magna Pars 1. 2. & 2. 2. inueniuntur totidem verbis in 1. & 3. lib. specul. moral. Vincent. Belloiacen. qui antiquior D. Thoma floruit Anno 1256. Ex Antonio Senensi in Biblioth. Alia quoque Opera non esse Diui Thomæ, quamuis illi attribuantur, notat ibidem Bellarmin. obseru. 1. & 2.

Ex his redditur satis incertum primò; quænam Opera sint vera, & germana D. Thomæ: Secundò dato, quod constet, aliquod Opus verè esse D. Thomæ, remanet incertum, An in illud errores, & deprauationes irrepserint: Hinc praxis inualuit apud Librorum Censores; vt Opera D. Thomæ non recudantur, nisi priùs lecta, ac relecta sint, & approbata;

Satis

Satis ergò rationabiliter adnotàuit Acerren. loco citato; Incertum esse non solùm, quid in hac Materia senserit, sed etiam quid scripserit D. Thomas: Et sanè hęc mihi scribēti occurrit iustus Codex in 4. Impressus Tarraconæ apud Philippum Mey Anno 1578. Et asseruatur in Bibliotheca PP. Prædic. Neapoli in Conuentu S. Dominici Maioris, cui Titulus; *Emendatio erratorum, quę Typographorum incuria in Summam D. Thomę hactenùs admissa reperiebantur, Cura, ac Diligentia Francisci Garzię Ord. Dominic.* Demùm cum Romæ Anno 1619. Summa D. Thomæ recuderetur in 16. apud Bartholomæum Zannettum sub initio primi Tomi adnotantur correctiones erratorum, quæ in singulas Summæ totius Partes irrepserāt, hac præmissa Pręfatiuncula. *Hęc sunt, Lector, quę ex Doctissimorum Virorum, & nostris obseruationibus mendosa maioris momenti loca in hac S. Thomæ Summa deprehendimus, diligentissimè collatis vndequaque ipsius Sūmę varijs Codicibus, tùm antiquis MS. tùm in ipsa Typographicę Artis infantia impressis; ea tibi emendationi cęterarum ferè omnium S. Thomę Summarū, alibi aliàs impressarum consulentes; & hic, & suis quęque locis emendata, atque emendanda proponimus.*

Quintò alij piè affecti ergà D. Thomam, volunt, illum semper constanter stetisse pro Immaculata. Ità Nicolaus Cicchouius integro Libello, Cauellus in tertio Sentent. Scoti; Laurentius à Ponte in lib. Sapient. Philippus Bernal peculiari tract. Vvadingus in sua Legat. Ioann. Maria Zamoren. Peculiari

tract.

Tract.Episc.Plasentinus in Prop.fol.118. à n.231. vsque ad n.318. & alij plures.

Verum quando ijs obijciuntur loca apertissima D.Thomæ pro contraria, & Affirmatiua Sententia; Respondent, vel D.Thomam posuisse in B. Virgine debitum, non verò Peccatum Originale actu. Vel D.Thomam esse locutum, quantum est ex vi legis, & statuti generalis, non verò quantum est ex vi specialis Gratiæ, & specialis Priuilegij, quod cōuenit B. Virgini eoipso, quòd Mater Dei est.

In tanta Sententiarum, & Interpretationum varietate, quid eligam, in quam partem inclinem, anceps pendeo, & omninò perplexus, antequam tamen aliquid afferam, quo Aduersarii perstringantur, & ad deditionem D. Thomæ in fauorem Negatiuæ Sententiæ compellantur.

Do illis Primò, & libentissimè indulgeo, in intelligentia, & assecutione Mentis D.Thomæ standum esse ipsismet Thomistis, tanquam Discipulis, Interpretibus, Commentatoribus D.Thomæ, eiusdem Ordin. & Instituti, qui propterea melius, & penitiùs Mentem Diui Thomæ introspicere potuerunt.

Do illis Secundò; Maiorem esse præstandam Fidem Antiquis, quàm Modernis Doctoribus; hoc est, quod ardentissimè efflagitant. In Classe ergò Thomistarum, Discipulorum, Interpretum, & Cōmentatorum D.Thomæ, maior erit præstanda Fides Antiquis, & iam demortuis, quàm Modernis, & nuperrimis adhùc viuentibus. His datis.

Puto Dicendum esse, & omninò asserendum in

Sententia Antiquorum Thomistarum, Sanctũ Thomam stetisse pro Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Cõceptione; quod Syllogismo vnico Hypothetico sic ostendo.

Qui tenet Homines à Christo redimi redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua: Qui Vniuersalem illam Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt*, intelligit de Peccato vel in ãctu, vel in debito: Qui dicit, B. Virgini in instanti Animationis suæ fuisse collatam gratiam sanctificantem, asserit, B. Virginẽ fuisse Immaculatè Conceptam, seù Præseruatam à Peccato Originali; Sed D. Thomas in Sententia Antiquorum Thomistarum tenuit à Christo redimi Homines Redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua; Vniuersalem illã Pauli intelligit de peccato vel in actu, vel in debito, & denique dicit, B. Virgini fuisse collatam gratiam sanctificantem in instanti animationis suæ, ergò D. Thomas asseruit Immaculatam Conceptionem, seù Præseruationem B. Virginis à Peccato Originali. Consequentia, seù Conclusio ineuitabili necessitate sequitur ex admissione Præmissarum, quarum prima, seù Maior cùm sit incõfesso, tota in Minori difficultatis Summa consistit.

Minor ergò illa quò ad primam eius partem, quę est, D. Thomas tenuit, Homines à Christo redimi redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua, probatur ex antiquo Thomista, & illustri Sacræ Theologiæ Doctore, & Magistro Seraphino Capponi à Porrecta Ordin. Dominicani Comm. in 3. p. D. Thomæ quæst. 27. artic. 1. notab. 3. hisce formalibus

libus terminis hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

„ Pro clariori notitia probationis 3. partis Con„clusionis scire oportet, quòd illud de Fide creditũ, „scilicèt, quòd omniũ Hominum Christus est Sal„uator à peccatis eorum, intelligitur duobus mo„dis, & quocunque istorum modorum de aliquo „Homine verificetur, saluatur Fides illa. Primus „itaque modus est, quòd alicuius iam sub peccato „actualiter existentis sit Saluator, idest, de facto ex„trahens eum ex illo peccato. Secundum autem est, „quòd alicuius in periculo cadendi in peccatum „existentis, sit Saluator, idest, de facto retinens eũ, „nè cadat in peccatum illud. Hos duos modos sal„uandi Homines nouit D. Thomas Ecclesiæ San„ctæ Doctor eximius, vt ipse post D. Augustinum „in 2.2.q.106.art.2. manifestat; sic Augustinus di„cit in 4. Confes. Quis Hominum suam cogitãs in„firmitatem audet viribus suis tribuere Castitatẽ, „atque Innocentiam suam, vt minus amet, quasi ei „minùs fuerit necessaria misericordia tua, qua con„donas peccata conuersis ad Te; tantundem imò „ampliùs Te diligat, quia per quem me video tan„tis peccatorum meorum languoribus non impli„cari: Gratiæ tuæ, & misericordiæ tuæ deputo, quia „peccata mea, tanquam glaciem soluisti; Gratiæ „tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid „enim facere non potui? omnia mihi dimissa esse „fateor, & quæ mea spontè feci mala, & quæ Te „Duce non feci. Hæc D. Thomas; quibus se optimè „sciuisse monstrauit duos prædictos modos redi-

 mendi

„ mendi Homines à peccato. Ex quibus etiam pa-
„ tet, quod ipse sciuit, quēlibet etiam quantūcun-
„ que Immaculatum, seù Innocentem (præsupposi-
„ to, quòd possit cadere in peccatum) indigere re-
„ dimi à peccatis per Christum, illa, inquit, miseri-
„ cordia, qua condones peccata conuersis ad Te: Id,
„ quod non fit à Deo, nisi per Christum, nemo enim
„ potest esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini
„ nostri Iesu Christi communicantur, vt dicit Con-
„ cilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. Saluatorem igi-
„ tur omnium Hominum, etiam quantumlibet Im-
„ maculatorum, ipse nouerat esse Christum, & hoc
„ ipsum per illa verba in 2. 2. docuit; Per necessariā
„ ergò sequelam patet, D. Thomam nouisse hoc, sci-
„ licèt, quòd B. Virgo etiam si nunquam actualiter
„ incurrisset maculam Originalis culpæ, indiguisset
„ redimi per Christum à Peccato, & consequenter
„ non tolleretur per hoc à Christo suum Priuilegiū,
„ scilicèt, quòd sit Saluator omnium Hominum, sal-
„ uasset enim etiā tunc Matrem suam à culpa Ori-
„ ginali, in quā vtique de facto cecidisset, si ipse eam
„ à casu tali non preseruasset.

OBIECTIO.

„ CVM ergò vniuersa hæc S. Doctor esse vera,
„ & nouerit, & docuerit, vt suprà, cùr in tex.
„ præsenti dicit, si B. Virgo nunquam incurrisset
„ maculam Originalis Culpæ, non indiguisset Re-
„ demptione, & Salute, quæ est per Christum, de
„ quo dicitur Matth. 1. Ipse saluum faciet populum
„ suum à peccatis eorum?

RE-

RESPONSIO.

, EX eo, quòd Sanctus Doctor ex præmissis à se
, dictis poterat, (stando præcisè in superficie
, text. adducti nunc) sibi ipsi respondere, Conse-
, quentiam illam non valere, & tamen ipsam tan-
, quam validam approbauit, quinimò & eandem
, tanquam Basim solidam totius quæsiti constituit,
, ex eo, inquam, relinquitur manifestum, quòd
, ipse in illa conditionali sensum alium habuit, quã
, verba illa sua præseferunt; alius verò sensus tanti
, Doctoris huiusmodi fuit; Si B. Virgo nunquam
, incurrisset Maculam Originalis Culpę, nec fuisset
, in periculo incurrendi illam, non indiguisset Re-
, demptione, & Salute per Christum à peccato illo.
Hęc Seraphinus.

Ex his probata manet Prima Pars eius Minoris, scilicèt, D. Thomas ex Sententia Antiquorum Thomistarum tenuit Homines à Christo redimi redemptione liberatiua, vel Præseruatiua.

Secundam Partem eius Minoris, videlicèt, D. Thomas Vniuersalem illam Pauli, intelligit de peccato vel in actu, vel in debito probat primò, & demonstrat explicatissimis verbis. S.R.E. Card. Caietanus Ordin. Dominicani Opusc. de Concept. B. Virg. cap. 3. vbi loquens de duplici genere Redemptionis, & Captiuitatis sic ait in terminis formalibus hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

, Neque enim vno modo tantùm, quodlibet
, horum dicitur, sed latitudinem habet; Dicitur
nam-

„namque Captiuus nō solùm, qui totaliter in Captiuitatem est redactus, sed qui cæpit in aliqua sui parte duci in captiuitatem, & obnoxius est captiuitati, & similiter dicitur mors peccati non solùm ipsa actualis mors, sed debitum, initium in propria persona habendi illam; & similiter dicitur à Peccato Originali mundatus non solùm, qui à contracta actuali macula mundatus est, sed qui à macula quidem in debito, & initio in propria persona fundato, & reliquis tot quasi partibus Peccati Originalis actualiter contractis, mūdatus est, & sic de alijs. Nec putet quisquam de mea hæc phantasia proferre, sed videat D. Thomam in 1.2. q.81. art.3. vbi inter alia tractat etiam illud ad Rom.5. Per vnum Hominem peccatum transijt in omnes, & per peccatum mors, sustinentem, quòd per mortem sufficit intelligere debitum, seù reatū in propria persona mortis, quamuis aliquis nunquam actualiter moreretur: Ex quo habetur, quòd cùm Apostolus duo simul dicat (scilicèt in omnes peruenit peccatum, & mors) sicut secundum, scilicèt, mors, sufficienter saluatur exponendo de morte vel in actu, vel in debito in propria persona, ità & primum, scilicèt, peccatum saluatur exponendo peccatum vel in actu, vel in Debito in propria persona.

Secundò eandem Secundam Partem eius Minoris probat clarissimè idem Caietanus Comm. in 1.2. q.81. art.3. hisce formalibus terminis hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

„ Aduerte duo circà Vniuersalitatem Peccati Ori-

, Originalis. Primum est, quòd ad Fidem Catholi-
, cam spectat, quòd omnes, prȩter solum Christum,
, contrahunt Peccatum Originale, quod dictum nõ
, intelligitur aliter, quàm de morte, quæ est pœna
, Peccati Originalis, ità quod sicut omnes incurrunt
, mortem, idest, necessitatem moriendi, ità omnes
, incurrunt Peccatum Originale, idest, necessitatem
, habendi Peccatum Originale; & sicut non spectat
, ad Fidem, an singuli moriantur actualiter, an Di-
, uina dispẽsatione aliquis non moriatur: ità nõ spe-
, ctat ad Fidem, an aliquis ex speciali prærogatiua
, gratiæ non incurrat actualiter Originale Pecca-
, tum, de vtroque enim simul inquit Apostolus ad
, Romanos, Per vnum Hominem Peccatum introi-
, uit in mundum, & per peccatum mors: Est igitur
, necessarium secundum Catholicam Fidem crede-
, re, quòd omnis vtriusque sexus ab Adam secun-
, cum rationem seminalem prouenìens ex ipsa sua
, generatione sit obnoxius Peccato Originali; Et
, contrà Pelagianos dicentes oppositũ, Augustinus
, disserit, & definit; De solo autem Iesu Christo ve-
, rum est, qui ex ipsa generatione nulli obnoxius est
, peccato, iuxtà verbum Angeli ad Beatam Virgi-
, nem antè Filij Conceptionem, quæ vocatur Na-
, tiuitas in vtero dicentis, Quod ex te nascetur san-
, ctum, & iuxtà hanc sensum militat ratio aucto-
, ris, quia aliter non indigeret Redemptione, quæ
, per Iesum Christum facta est; si enim Peccatum
, Originale vel in actu, vel in necessitate habendi
, illud quis non incurreret, non egeret Redemptio-
, ne, quod Hæreticum esset dicere. Sed si omnes
sint

,sint obnoxij Peccata Originali, sufficit ad indigẽ-
,tiam Redemptionis;neque enim solum Redemp-
,tione eget actualiter captiuus , sed etiam obno-
,xius captiuitati. Et hæc benè notabis Tu Thomi-
,sta, nè nimio Zelo, non secundum scientiam, ac-
,census, erronea dicas,quæ non sunt erronea, cùm
,de B. Virginis Conceptione disputas, aut prædi-
,cas. *Hęc Caietanus.*

Tertiò eandem Secundam Partem eius Minoris ostendit, & probat Ioannes à S. Thoma celeberrimus Thomista Ordin. Dominicani Philippi IV. Regis Hyspaniarum, & Indiarum à Confessionibus, & S. Officij Qualificator p.1. disp.2. per totam, præcipuè §.1. hisce terminis formalibus hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

, Secundò pondera,quòd ad liberationem per
, Christum disiunctiuè postulat D.Thomas velDe-
,bitum,vel Culpam in eo,qui redimendus est;ergo
,sufficiẽter saluat D. Thomas Redemptionem per
,Christum in aliquo, qui solum nascatur cùm de-
,bito, non ampliùs requirit, quando loquitur de B.
,Virgine, & infert pro inconuenienti, quòd non
,indigeret Redemptione per Christum, intelligi-
,tur enim, quòd non indigeret, si conciperetur
,sinè debito, aut sinè peccato, non tamen si cõcipe-
,retur sinè peccato, dummodò conciperetur cùm
,debito in peccato.

Ex his probata manet non semel tantùm, sed bis, & ter Secunda Pars eius Minoris in Sententia Thomistarum,videlicèt, quòd D.Thomas Vniuersalem illam Pauli; *Omnes in Adam peccauerunt*, intelle-

tellexit de Peccato vel in actu, vel in debito.

Eandem Doctrinam tradunt in terminis Durand.in 3.d.3.q.1. num.12. Petrus de Palude in 3. d.3. quos attuli 3.p. Tract.Theol.art.4.Medina 1. 2.q.81.art.3.

Tertiam denique Partem eius Minoris, videlicèt, D. Thomas asseruit, B. Virgini fuisse collatam gratiam sanctificantem in instanti animationis suę, testatur apertissimè Ioannes Bromiardus Ordinis Dominic. Theologus præstantissimus, & Declamatór suo tempore celeberrimus, qui vixit primo sæculo, quo floruit Ordo Dominicanus juxtà Antonium Senensem in Bibliotheca fol. 133. Bromiardus igitur in Sūma prædic.p.2.c.3. V.Maria folio 8. num.10. loquens de Sanctificatione B.Virginis, de qua tractat D.Thomas 3.p.d.27.art.2. ità discurrit in terminis formalibus hic à me fide prorsus illibata transcriptis.

In eadem etiam quæst.27.art.2.ponit(videlicèt D. Thomas) *Sanctificationis eius excellentiam quantū ad prioritatem temporis in hoc, quòd Sāctificata fuit in sua Animatione, idest, coniunctione Animę cùm Corpore in vtero Matris suę, & non antè, quia Sanctificatio & mundatio fit per Gratiam, cuius subiectū est Anima, nihil enim est capax Gratię, nisi anima rationalis; Sic ergò Sāctificauit Tabernaculum suum altissimus Psalm.45.* Hæc Ioannes Bromiardus.

Verum quia Doctrinæ Diui Thomæ sic relatæ à Bromiardo videntur omninò contraria verba Tex. in nouissimis Impressionibus, ait enim D.Thomas articulo illo 2. *Beata Virgo est Sanctificata post animationē,* Non ergò ex fide refert Bromiardus, quòd

Sanctus Doctor dixerit, B. Virgo est Sanctificata in sua Animatione. Præterea D. Thomas in 3. d. 3. art. 1. q. 2. apertè docet, Sanctificationem B. Virginis non fuisse factam in instanti Animationis suæ. En verba. *Sanctificatio Beatę Virginis non potuit esse decenter in ipso instanti infusionis Animę, vt scilicet per Gratiam sibi infusam conseruaretur, nè culpam originalem incurreret.* Glossa ergò Bromiardi est contrà Textum, & mentem D. Thomæ.

His tamen non obstantibus, omisso pro nunc, vtrumque Textum allatum fuisse corruptum, & deprauatum, vt validissimis rationibus probant Poza in Elucid. versus finem. Petrus à Valle Diatriba 6. Alua in suo Sole fol. 831. Hoc, inquam, omisso, & data veracitate, ac fidelitate adductorum textuũ; Non desunt Thomistæ magni nominis, & famæ, qui verba D. Thomæ vtrobique adducta in eodem prorsus sensu, quo Ioannes Bromiardus retulit, intelligant, & declarent.

Et quidem primò Seraphinus Capponi loco vbi suprà loquens de illo Argumento, seù Probatione D. Thomæ. *Beata Virgo non est Sanctificata antè Animationẽ, ergò est Sanctificata post Animationem.* sic discurrit in terminis formalibus hic à me fide prorsùs illibata transcriptis.

„ Quamuis iuxtà corticem litteræ probatio hæc „ nihil valere, seù concludere videatur, tamen si ad „ intellectum eiusdem litteræ penetremus, contra„ rium dicendum esse, constat; Cortex sanè litteræ „ nihil probat, quoniam ex eo, quòd Sanctificatio „ non fuit antè Animationem, non sequitur neces-

,riò, quòd sit post Animationem, nam medium, ,scilicèt instans ipsius Animationis datur inter duo ,extrema hæc, scilicèt, *Antè, & post*; In hoc ergò ,medio potuit esse talis Sanctificatio, præsertim ,cùm Gratia, siuè præsupponeret peccatum expel-,lendum, siuè non, infundatur in instanti 1.2.q. ,113.artic.7. cuius tamen medij videtur oblitus D. ,Thomas, dùm prædictam sequelam inualidam ,pro valida in gratiam probandæ huius Conclusio-,nis tertiæ præsupposuit in textu in ly *Vnde relinquitur, quòd Sanctificatio B.Virginis fuerit post eius Animationem.*

,Ad hoc respondetur, quòd probatio illa, seù ,consequentia & probat,& optimè probat.Nec ob-,stat huic,quòd detur illud medium,quia inclusum ,est medium hoc in consequente, seù in Conclu-,sione,dicendo ly *Post*,nam ly *Post* denotat hìc duo, ,scilicèt ordinem temporis,quod patet,& ordinem ,Naturæ, qui quasi latet. Sic enim posse dupliciter ,accipi ly *Post*, Philosophus in Postprædic. capite ,de priori docuit per hoc, quòd ibi ostendit eius ,correlatiuum,idest, Prius,dici duobus modis, vi-,delicet prius natura,& prius tempore; Cùm ergò ,vnum relatiuum totupliciter dicatur, quotuplici-,ter dicitur,& reliquum,vt ipsemet alibi docet, re-,stat apertum, quòd etiam ly *Post* sumi potest du-,pliciter,scilicèt,post naturæ, & post tēporis, vtro-,que autem modo, vt dicebatur, sumitur hìc, ac si ,dixisset textus sic; *Vnde relinquitur, quòd Sanctificatio B.Virginis fuerit post eius Animationem vel natura, vel tempore*, , idest posterioritate vel na-

Sententia Antiquorum Thomistarum, Sanctũ Thomam stetisse pro Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Cõceptione; quod Syllogismo vnico Hypothetiço sic ostendo.

Qui tenet Homines à Christo redimi redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua: Qui Vniuersalem illam Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt*, intelligit de Peccato vel in ãctu, vel in debito: Qui dicit, B. Virgini in instanti Animationis suæ fuisse collatam gratiam sanctificantem, asserit, B. Virginẽ fuisse Immaculatè Conceptam, seù Præseruatam à Peccato Originali; Sed D. Thomas in Sententia Antiquorum Thomistarum tenuit à Christo redimi Homines Redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua; Vniuersalem illã Pauli intelligit de peccato vel in actu, vel in debito, & denique dicit, B. Virgini fuisse collatam gratiam sanctificantem in instanti animationis suæ, ergò D. Thomas asseruit Immaculatam Conceptionem, seù Pręseruationem B. Virginis à Peccato Originali. Consequentia, seù Conclusio ineuitabili necessitate sequitur ex admissione Præmissarum, quarum prima, seù Maior cùm sit incõfesso, tota in Minori difficultatis Summa consistit.

Minor ergò illa quò ad primam eius partem, quę est, D. Thomas tenuit, Homines à Christo redimi redemptione vel liberatiua, vel Præseruatiua, probatur ex antiquo Thomista, & illustri Sacræ Theologiæ Doctore, & Magistro Seraphino Capponi à Porrecta Ordin. Dominicani Comm. in 3. p. D. Thomæ quæst. 27. artic. 1. notab. 3. hisce formalibus

libus terminis hic à me fide prorsus illibata transcriptis.

,, Pro clariori notitia probationis 3. partis Conclusionis scire oportet, quòd illud de Fide creditũ, scilicèt, quòd omniũ Hominum Christus est Saluator à peccatis eorum, intelligitur duobus modis, & quocunque istorum modorum de aliquo Homine verificetur, saluatur Fides illa. Primus itaque modus est, quòd alicuius iam sub peccato actualiter existentis sit Saluator, idest, de facto extrahens eum ex illo peccato. Secundum autem est, quòd alicuius in periculo cadendi in peccatum existentis, sit Saluator, idest, de facto retinens eũ, nè cadat in peccatum illud. Hos duos modos saluandi Homines nouit D. Thomas Ecclesiæ Sanctæ Doctor eximius, vt ipse post D. Augustinum in 2.2.q.106.art.2. manifestat; sic Augustinus dicit in 4. Confes. Quis Hominum suam cogitãs infirmitatem audet viribus suis tribuere Castitatẽ, atque Innocentiam suam, vt minus amet, quasi ei minùs fuerit necessaria misericordia tua, qua condonas peccata conuersis ad Te; tantundem imò ampliùs Te diligat, quia per quèm me video tantis peccatorum meorum languoribus non implicari: Gratiæ tuæ, & misericordiæ tuæ deputo, quia peccata mea, tanquam glaciem soluisti; Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim facere non potui? omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea spontè feci mala, & quæ Te Duce non feci. Hæc D. Thomas; quibus se optimè sciuisse monstrauit duos prædictos modos redi-

„ mendi Homines à peccato. Ex quibus etiam pa-
„ tet, quod ipse sciuit, quelibet etiam quantūcun-
„ que Immaculatum, seù Innocentem (præsupposi-
„ to, quòd possit cadere in peccatum) indigere re-
„ dimi à peccatis per Christum, illa, inquit, miseri-
„ cordia, qua condones peccata conuersis ad Te:Id,
„ quod non fit à Deo, nisi per Christum, nemo enim
„ potest esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini
„ nostri Iesu Christi communicantur, vt dicit Con-
„ cilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. Saluatorem igi-
„ tur omnium Hominum, etiam quantumlibet Im-
„ maculatorum, ipse nouerat esse Christum, & hoc
„ ipsum per illa verba in 2. 2. docuit; Per necessariã
„ ergò sequelam patet, D. Thomam nouisse hoc, sci-
„ licèt, quòd B. Virgo etiam si nunquam actualiter
„ incurrisset maculam Originalis culpæ, indiguisset
„ redimi per Christum à Peccato, & consequenter
„ non tolleretur per hoc à Christo suum Priuilegiũ,
„ scilicèt, quòd sit Saluator omnium Hominum, sal-
„ uasset enim etiã tunc Matrem suam à culpa Ori-
„ ginali, in quã vtique de facto cecidisset, si ipse eam
„ à casu tali non preseruasset.

OBIECTIO.

„ CVM ergò vniuersa hæc S. Doctor esse vera,
„ & nouerit, & docuerit, vt suprà, cùr in tex.
„ præsenti dicit, si B. Virgo nunquam incurrisset
„ maculam Originalis Culpæ, non indiguisset Re-
„ demptione, & Salute, quæ est per Christum, de
„ quo dicitur Matth. 1. Ipse saluum faciet populum
„ suum à peccatis eorum?

RE-

RESPONSIO.

„EX eo, quòd Sanctus Doctor ex præmissis à se „dictis poterat, (stando præcisè in superficie „text. adducti nunc) sibi ipsi respondere, Conse„quentiam illam non valere, & tamen ipsam tan„quam validam approbauit, quinimò & eandem „tanquam Basim solidam totius quæsiti constituit, „ex eo, inquam, relinquitur manifestum, quòd „ipse in illa conditionali sensum alium habuit, quã „verba illa sua præseferunt; alius verò sensus tanti „Doctoris huiusmodi fuit; Si B. Virgo nunquam „incurrisset Maculam Originalis Culpę, nec fuisset „in periculo incurrendi illam, non indiguisset Re„demptione, & Salute per Christum à peccato illo. *Hęc Seraphinus.*

Ex his probata manet Prima Pars eius Minoris, scilicèt, D. Thomas ex Sententia Antiquorum Thomistarum tenuit Homines à Christo redimi redemptione liberatiua, vel Præseruatiua.

Secundam Partem eius Minoris, videlicèt, D. Thomas Vniuersalem illam Pauli, intelligit de peccato vel in actu, vel in debito probat primò, & demonstrat explicatissimis verbis. S.R.E. Card. Caietanus Ordin. Dominicani Opusc. de Concept. B. Virg. cap. 3. vbi loquens de duplici genere Redemptionis, & Captiuitatis sic ait in terminis formalibus hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

„Neque enim vno modo tantùm, quodlibet „horum dicitur, sed latitudinem habet; Dicitur

nam-

,namque Captiuus nō solùm, qui totaliter in Cap-
,tiuitatem est redactus, sed qui cæpit in aliqua sui
,parte duci in captiuitatem, & obnoxius est capti-
,uitati, & similiter dicitur mors peccati non solùm
,ipsa actualis mors, sed debitum, initium in propria
,persona habendi illam; & similiter dicitur à Pec-
,cato Originali mundatus non solùm, qui à contra-
,cta actuali macula mundatus est, sed qui à macu-
,la quidem in debito, & initio in propria persona
,fundato, & reliquis tot quasi partibus Peccati Ori-
,ginalis actualiter contractis, mūdatus est, & sic de
,alijs. Nec putet quisquam de mea hæc phanta-
,sia proferre, sed videat D. Thomam in 1.2.q.81.
,art.3. vbi inter alia tractat etiam illud ad Rom.5.
,Per vnum Hominem peccatum transijt in omnes,
,& per peccatum mors, sustinentem, quòd per mor-
,tem sufficit intelligere debitum, seu reatū in pro-
,pria persona mortis, quamuis aliquis nunquam
,actualiter moreretur: Ex quo habetur, quòd cùm
,Apostolus duo simul dicat (scilicèt in omnes per-
,uenit peccatum, & mors) sicut secundum, scilicèt,
,mors, sufficienter saluatur exponendo de morte
,vel in actu, vel in debito in propria persona, ità &
,primum, scilicèt, peccatum saluatur exponendo
,peccatum vel in actu, vel in Debito in propria
,persona.

Secundò eandem Secundam Partem eius Mi-
noris probat clarissimè idem Caietanus Comm. in
1.2.q.81.art.3. hisce formalibus terminis hìc à me
fide prorsus illibata transcriptis.

,Aduerte duo circà Vniuersalitatem Peccati
Ori-

, Originalis. Primum est, quòd ad Fidem Catholi-
, cam spectat, quòd omnes, prçter solum Christum,
, contrahunt Peccatum Originale, quod dictum nō
, intelligitur aliter, quàm dē morte, quæ est pœna
, Peccati Originalis, itá quod sicut omnes incurrunt
, mortem, idest, necessitatem moriendi, itā omnes
, incurrunt Peccatum Originale, idest, necessitatem
, habendi Peccatum Originale; & sicut non spectat
, ad Fidem, an singuli moriantur actualiter, an Di-
, uina dispēsatione aliquis non moriatur: itá nō spe-
, ctat ad Fidem, an aliquis ex speciali prærogatiua
, gratiæ non incurrat actualiter Originale Pecca-
, tum, de vtroque enim simul inquit Apostolus ad
, Romanos, Per vnum Hominem Peccatum introï-
, uit in mundum, & per peccatum mors: Est igitur
, necessarium secundum Catholicam Fidem crede-
, re, quòd omnis vtriusque sexus ab Adam secun-
, cum rationem seminalem prouenieus ex ipsa sua
, generatione sit obnoxius Peccato Originali; Et
, contrà Pelagianos dicentes oppositū, Augustinus
, disserit, & definit; De solo autem Iesu Christo ve-
, rum est, qui ex ipsa generatione nulli obnoxius est
, peccato, iuxtà verbum Angeli ad Beatam Virgi-
, nem antè Filij Conceptionem, quæ vocatur Na-
, tiuitas in vtero dicentis, Quod ex te nascetur san-
, ctum, & iuxtà hanc sensum militat ratio aucto-
, ris, quia aliter non indigeret Redemptione, quæ
, per Iesum Christum facta est; si enim Peccatum
, Originale vel in actu, vel in necessitate habendi
, illud quis non incurreret, non egeret Redemptio-
, ne, quod Hæreticum esset dicere. Sed si omnes
sint

, sint obnoxij Peccata Originali, sufficit ad indigē-
, tiam Redemptionis; neque enim solum Redemp-
, tione eget actualiter captiuus , sed etiam obno-
, xius captiuitati. Et hæc benè notabis Tu Thomi-
, sta, nè nimio Zelo, non secundum scientiam, ac-
, census, erronea dicas, quæ non sunt erronea, cùm
, de B. Virginis Conceptione disputas, aut prædi-
, cas. *Hęc Caietanus.*

Tertiò eandem Secundam Partem eius Minoris ostendit, & probat Ioannes à S. Thoma celeberrimus Thomista Ordin. Dominicani Philippi IV. Regis Hyspaniarum, & Indiarum à Confessionibus, & S. Officij Qualificator p. 1. disp. 2. per totam, præcipuè §. 1. hisce terminis formalibus hìc à me fide prorsus illibata transcriptis.

, Secundò pondera, quòd ad liberationem per
, Christum disiunctiuè postulat D. Thomas vel De-
, bitum, vel Culpam in eo, qui redimendus est; ergo
, sufficiēter saluat D. Thomas Redemptionem per
, Christum in aliquo, qui solum nascatur cùm de-
, bito, non ampliùs requirit, quando loquitur de B.
, Virgine, & infert pro inconuenienti, quòd non
, indigeret Redemptione per Christum, intelligi-
, tur enim, quòd non indigeret, si conciperetur
, sinè debito, aut sinè peccato, non tamen si cōcipe-
, retur sinè peccato, dummodò conciperetur cùm
, debito in peccato.

Ex his probata manet non semel tantùm, sed bis, & ter Secunda Pars eius Minoris in Sententia Thomistarum, videlicèt, quòd D. Thomas Vniuersalem illam Pauli; *Omnes in Adam peccauerunt*, intelle-

tellexit de Peccato vel in actu, vel in debito.

Eandem Doctrinam tradunt in terminis Durand.in 3.d.3.q.1.num.12. Petrus de Palude in 3.d.3. quos attuli 3.p. Tract.Theol.art.4.Medina 1.2.q.81.art.3.

Tertiam denique Partem eius Minoris, videlicèt, D. Thomas asseruit, B.Virgini fuisse collatam gratiam sanctificantem in instanti animationis suę, testatur apertissimè Ioannes Bromiardus Ordinis Dominic.Theologus præstantissimus, & Declamatór suo tempore celeberrimus, qui vixit primo sæculo, quo floruit Ordo Dominicanus juxtà Antonium Senensem in Bibliotheca fol. 133. Bromiardus igitur in Sūma prædic.p.2.c.3.V.Maria folio 8. num.10. loquens de Sanctificatione B.Virginis,de qua tractat D.Thomas 3.p.d.27.art.2. ità discurrit in terminis formalibus hic à me fide prorsus illibata transcriptis.

*In eadem etiam quæst.27.art.2.ponit(*videlicèt D. Thomas*) Sanctificationis eius excellentiam quantū ad prioritatem temporis in hoc, quòd Sāctificata fuit in sua Animatione, idest, coniunctione Animę cùm Corpore in vtero Matris suę, & non antè quia Sanctificatio & mundatio fit per Gratiam, cuius subiectū est Anima, nihil enim est capax Gratię, nisi anima rationalis; Sic ergò Sāctificauit Tabernaculum suum altissimus Psalm.45.* Hæc Ioannes Bromiardus.

Verum quia Doctrinæ Diui Thomæ sic relatæ à Bromiardo videntur omninò contraria verba Tex. in nouissimis Impressionibus, ait enim D.Thomas articulo illo 2. *Beata Virgo est Sanctificata post animationē*, Non ergò ex fide refert Bromiardus, quòd

,riò, quòd ſit poſt Animationem, nam medium,
,ſcilicèt inſtans ipſius Animationis datur inter duo
,extrema hæc, ſcilicèt, *Antè, & poſt*; In hoc ergò
,medio potuit eſſe talis Sanctificatio, præſertim
,cùm Gratia, ſiuè præſupponeret peccatum expel-
,lendum, ſiuè non, infundatur in inſtanti 1.2.q.
,113.artic.7. cuius tamen medij videtur oblitus D.
,Thomas, dùm prædictam ſequelam inualidam
,pro valida in gratiam probandæ huius Concluſio-
,nis tertiæ præſuppoſuit in textu in ly *Vnde relin-
quitur, quòd Sanctificatio B. Virginis fuerit poſt eius
Animationem.*

,Ad hoc reſpondetur, quòd probatio illa, ſeù
,conſequentia & probat,& optimè probat. Nec ob-
,ſtat huic,quòd detur illud medium,quia incluſum
,eſt medium hoc in conſequente, ſeù in Conclu-
,ſione,dicendo ly *Poſt*,nam ly *Poſt* denotat hìc duo,
,ſcilicèt ordinem temporis,quod patet,& ordinem
,Naturæ, qui quaſi latet. Sic enim poſſe dupliciter
,accipi ly *Poſt*, Philoſophus in Poſtprædic. capite
,de priori docuit per hoc, quòd ibi oſtendit eius
,correlatiuum,ideſt, Prius,dici duobus modis, vi-
,delicet prius natura,& prius tempore; Cùm ergò
,vnum relatiuum totupliciter dicatur, quotuplici-
,ter dicitur,& reliquum,vt ipſemet alibi docet, re-
,ſtat apertum, quòd etiam ly *Poſt* ſumi poteſt du-
,pliciter,ſcilicèt,poſt naturæ, & poſt tẽporis, vtro-
,que autem modo, vt dicebatur, ſumitur hìc, ac ſi
,dixiſſet textus ſic; *Vnde relinquitur, quòd Sancti-
ficatio B. Virginis fuerit poſt eius Animationem vel
natura, vel tempore*, , ideſt poſterioritate vel na-

" turæ, vel temporis. Quid verò sit posterioritas na-
" turæ, vel temporis patet ibidem per Philosophum
" in eius correlatiuo, scilicèt, prius, quoniam priori-
" tas naturæ est, quando aliquid secundùm suam
" naturam intelligitur esse prius alio, sed in rei veri-
" tate præcedit illud secundùm tempus; Sic ergò
" posito, Sanctificatio post Animationem posterio-
" ritate naturæ solùm facta est, si in eodem instanti,
" quo animatum fuit illud Corpus, facta fuit; Tunc
" enim intelligeretur quidem, Animam prius adue-
" nisse Corpori (præsertim, cùm neque Anima sit,
" antequam infundatur ei, neque persona B. Virgi-
" nis, antequàm Anima coniungatur Corpori) po-
" steà verò ipsam fuisse Sanctificatam, sed tamen
" vtrumque, scilicèt, & infusio Animæ in Corpus, &
" Sanctificatio, idest, infusio gratię in Animam, fuis-
" set simul tempore, imò eodem instanti temporis.
Hæc Seraphinus.

Ex quo Discursu vides manifestè, quòd dictio, post, in Textu D. Thomæ dicentis, *Sanctificationem B. Virginis esse factam post Animationem*, Importare posterioritatem vel naturæ, vel temporis disiunctiuè per Seraphinum; At quando importat posterioritatem naturæ, significat per eundem Seraphinum in eodem instanti infusionis Animæ factam fuisse Sanctificationem B. Virginis; ergò benè intellecta verba D. Thomæ in hoc Textu habent eũdem omninò sensum, quem expressit Bromiardus in sua Summa loco citato. Hanc eandem Doctrinã suám de sensu particulæ, Post, repetit Seraphinus in sua Theologia abbreuiata Impressa Antuerpiæ

Anno Domini 1614. & Venetijs apud Marcũ Zalterium Anno Domini 1597.

Secundò B. Iordanus Ord. Prædicatorum immediatè post S. Dominicum Mag. General. qui floruit paulò ante magisterium D. Thomæ asserit, Animã B. Virginis fuisse Sanctificatam in eodem illo instanti, quo fuit infusa, & vnita corpusculo: Verba eius formalia retuli suprà, & minimè piget hìc ea repetere ex Serm. de Concept. Mariana Ioann. Herolt. Ord. Dominic. ità referentis. *Sciendum tamen celebrantem hoc deuotissimum Festum oportere intẽtionem dirigere ordinatè, vt non referatur intentio ad Conceptionem carnis, quia illa massa non est susceptibilis Gratiæ, sed sola Anima, vnde intentio referenda est ad illam Conceptionem, quandò Anima infusa est, & vnita corpusculo, & in eodem instanti Sanctificata est.*

Postremò verba alterius Textus in 3. d. 3. art. 1. q. 2. habere hunc eundem omninò sensum, atque adeò S. Doctorem fuisse semper sibimet ipsi consonum, idem Seraphinus §. Quæstio, tradit, & docet apertè, ait enim. *Duobus modis intelligi: Decenter non potuisse fieri Sanctificationem in instanti Animationis; Primò quidem itaut in eodem illo instanti sanctificaretur caro embrionis, & simul Anima, & hanc Sanctificationem decenter, idest, salua fide non potuisse fieri asserit docuisse S. Thomam ijs verbis,* Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter in ipso instanti infusionis Animæ. *Secundò itaut Sanctificatio illa intelligatur fieri in illo instanti infusionis Animæ per gratiam illi collatam, creando scili-*

ſcilicet Animam ipſam in gratia, ità quod caro illus embrionis remaneret corporali ſua infectione infecta, tunc poſſibilis eſt decenter, idest ſalua fide ea ſãctificationis poſitio. Hæc Seraphinus.

Cùm ergo ad Sanctificationem B. Virginis in inſtanti infuſionis Animæ ſolummodò exigamus, quòd eius Anima ſit creata in Gratia, vltrò & libẽtiſſimè admittendo, Carnem remanſiſſe infectam, habemus intentum, & remanet apertè Concluſum, D. Thomam ſemper, & conſtanter aſſeruiſſe Animam B. V. fuiſſe ſanctificatã in inſtanti ſuę creationis, & infuſionis ad Animę Corpus; Quod olim claris, & expreſſis verbis teſtatus eſt Ioannes Bromiardus in ſua Summa, & B. Iordanus, vbi ſuprà.

Et ſic probata manet Tertia Pars eius Minoris, ſcilicèt D. Thomam aſſeruiſſe, collatam fuiſſe gratiam Sanctificantem B. Virgini in inſtanti Animationis ſuæ, & Argumenta contrària remanent plenè ſoluta ab ipſiſmet Thomiſtis. Ex his omnibus;

Colligitur manifeſtè primò Veteres, & Antiquos Thomiſtas, Interpretes, & Commentatores D. Thomæ docuiſſe explicatiſſimis verbis integra fide relatis, S. Doctorem agnouiſſe redemptionem Hominum liberatiuam, vel præſeruatiuam; Intellexiſſe illud Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt* de peccato in actu, vel in debito; Demum aſſeruiſſe, B. Virginem fuiſse Sanctificatam in inſtanti Animationis ſuæ.

Colligitur, & concluditur Secundò Veteres, & Antiquiores Thomiſtas in ea fuiſse Opinione, & Sententia, vt tenuerint D. Thomam ſui Ordin. Dominic.

minic. & Ecclesiæ Catholicæ Lumen stetisse pro Immaculata Conceptione, seù Mariana Præseruatione à Peccato Originali.

Quare ergò, Recentissimi, & Nuperrimi Thomistæ in alio longè diuerso sensu D. Thomam intelligendo, seriò contendunt, maiorem sibi esse adhibendam Fidem, quàm Antiquioribus, quando ipsimet generatim loquendo de hoc Genere Argumenti ducti ab Auctoritate SS.PP. & DD. identidem clamant, maiorem esse adhibendam fidem Antiquioribus, quàm Recentibus, & Modernis? Vel ergò Antiquiores Thomistæ D. Thomæ mentem, & sensum minimè tenuerunt, & sic proscribenda essent eorum tam illustria Commentaria ex omnibus Christiani Orbis exedris, Academijs; Vel si Antiquiores Thomistæ D. Thomæ mentem, & sensum probè, & ritè tenuerunt, (vt necesse est fateantur, nè suo Ordini incommodent) & ità eripitur Recentissimis, & nuperrimis Thomistis omnis prætextus, subterfugium omne, quo cùm reliquis Theologis, & Doctoribus consentire detrectant; Sanctissimam Deiparentem nunquam subiacuisse labi Originali. Videat Deus, & Iudicet. Videat Beatissima Virgo, & ad Deum in sui Conceptione Immaculata vno ore laudandum, & glorificandum eorum corda conuertat. Videat Sanctiss. Dominus Noster Alexander .VII. & huius Articuli Decisionem, quam omnes Boni, omnes Pij flagrantissimè suspirant, consueta grauitate maturet; Nec ampliùs patiatur Pontificiæ Auctoritatis aciem hebescere iniecta sibi Religione, quòd D. Thomas,

cui tantum fidit Ecclesia contrà sentiat, quando D. Thomam stetisse pro Immaculata fatentur apertissimè preallegati eius antiqui, & iam demortui Discipuli, Commentatores, Interpretes eiusdem sui Ordinis locis citatis, quibus maior est præstanda fides, quàm Modernis, & adhuc viuentibus; neque enim ab alio, quàm ab Alexandro verè Magno, verè Maximo, potest Nodus iste implicatissimus Immaculatæ Conceptionis Marianæ gladio spiritus, quod est Verbum Dei, dissolui, explicari. Interim liceat mihi Tractatum meum de Mariana Preseruatione ità concludere, sicut olim Librum suum de Mariana Assumptione conclusit S. Augustinus.

„ Si vera sunt, quæ scripsi; Tibi Gratias ago
„ Christe, quia de S. Virgine Matre Tua, nisi quod
„ Pium, & dignum est visum sentire non potui: Si
„ ergò dixi, vt debui, Approba Christe Tu, &
„ Tui; Si autem non vt debui, ignosce obsecro
„ Tu, & Tui.

FINIS

LAVS DEO, B. MARIAE VIRGINI
Ab Originali Labe speciali Priuilegio Præseruatæ,
Sanctissimo Dom. N. ALEXANDRO VII.
de Mariana Preseruatione Optimè Merito Fausta Omnia, Læta Omnia.

SYL-

SYLLABVS
SEV
INDEX RERVM,
ET VERBORVM NOTABILIVM

Prior Numerus Paginam, seu Folium significat, Posterior est Marginalis.

A

C

Decre-

D

H

I

Inno-

Lami-

L

M

Mat-

N

P

Q

R

serua-

S

T

V

Vt Errata grauiora emendarentur, curaui summo Studio; Minutiora *Pij* Lectoris Humanitas excusabit.

DVODECIM
RADII

Quibus à Visibilis Ecclesię Sole,& vero Luminum Patre Alexandro VII. Beatissimæ VIRGINIS MARIÆ Præseruatioà Peccato Originali in primo suæ Animationis instanti illustratur,illuminatur.

VIx huic Operi vltimam Typographus manum admouerat,cùm eccè faustissimus Nūtius Piorum omnium ingenti gaudio corda perfudit;accepimus enim ex eo Romæ ab Alexandro VII.Ecclesiæ Catholicæ Clauum fęliciter tenente, emanasse Bullam in fauorem Marianæ Præseruationis tenoris sequentis,videlicèt.

SS.D.N.D. ALEXANDRI Diuina Prouidentiæ Papæ VII. Innouatio Constitutionum, & Decretorum in fauorem sententię asserentis, Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à Peccato Originali præseruatam fuisse, editorum. Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo omnium Eccle-

ſiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & prouidentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, vt ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt vt veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur, vtque exorta quàm celerimè, & quàm diligentiſſimè amoueantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro noſtro paſtoralis officij debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſiduè vrimur. Sanè vetus eſt Chriſtifidelium erga eius Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam Pietas, ſentientium, eius Animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & priuilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſeruatam immunem, atque in hoc ſenſu eius Conceptionis feſtiuitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; creuitque horum numerus, atque huiuſmodi cultus poſt editas à felic. record. Sixto PP. IV. prædeceſſore noſtro in eius commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innouauit, atque obſeruari mandauit. Aucta rurſus, & propagatus fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordinē, & Confraternitates, ac conceſſas ab ijſdem indulgentias, itaut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academijs

ad

adhanc ſententiam, iam ferè omnes Catholici eã complectantur. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectiònibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd nempè eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententię contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad priuata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in fauorem eiuſdem ſententiæ, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis tàm publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis datis ad Nos litteris expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludouicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius operationes aſſertores contra præfatas prohibitiones tum priuatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & fauorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundùm illam præſtitum ita interpretari,

vt frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui iuxtà illam Beatæ Virgini exhibito fauere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; vnde offensiones, scandala, & iurgia, quibus obuiare voluerũt Paulus V. & Gregorius XV. nostri prædecessores perdurant adhuc, & ex occasione eorundem aduersantium maiora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, eiusq; Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quòd Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinauit iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanauit; volentèsque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundùm illã exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem & deuotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, preueniente scilicet Spiritus sancti gratia, à peccato originali præseruatam; cupientèsque in Christi grege vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgijs, amotisque scãdalis, conseruare: ac prefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis,

eiusque

eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & precipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali preseruatam fuisse, necnon & in fauorem festi, & cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparę secundùm piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mãdamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpetrari, vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contrà ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, siue sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, siue Doctores glossandi, vel interpetrandi, denique alio quouis prætextu, seu occasione; scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contrà ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquẽdo, aut alio quouis excogitabili modo differendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentes subijcimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpre-

tandi

randi facultate, ac voce actiua, & passiua in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione; à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolui, aut super ijs dispensari possint: necnon eosdẽ alijs pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pōtificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subijcimus per præsentes, innouantes Pauli V. & Gregorij XV. superiùs memoratas Constitutiones, siue Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubio reuocatur, aut contra ea quomodocumque, vt supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expresséprohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicèt, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus; quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus

eos

eos subiecit Sixtus IV. alijque prædecessores nostri Romani Pontifices, grauioribus alijs pœnis subijcimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs inflixirnus. Volentes, quòd contra huius nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarij, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animaduertant: Nos enim ijs, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatē ijsdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, vt præfertur, procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, in-

diuidua,

diuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma obseruanda foret, tenoris huiusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque cōtrariis quibuscumque. Vt autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientię, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus Prædicatoribus, & alijs, quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mādamus, quòd præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellarię Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur, quæ affixio & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatę

fuissent;

fuissent, & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur si ostensæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die viij. Decembris MDCLXI. Pontificatus nostri anno septimo. S.Vgolinus. Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione 13. die vero 11. mensis Decembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. anno septimo, suprascriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilicarum S. Io: Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, & in acie campi Floræ, vt moris est, per me Andream Castruccium prælibati Sanctiss. D.N.D.PP. Curs. Pro D.Mag. Curs. Petrus Paulus Desiderius Curs. Ioannes Cauallero Notarius publicus Apostolicus.

Hanc sanè Bullam mihi attentissimè legenti; & (vt par erat) ponderanti, duodecim affulsere Radij, quibus à visibilis Ecclesiæ Sole, & vero Luminum Patre Mariana Præseruatio illustratur.

1 Et quidem Primus ex ipsomet Titulo Alexandrinæ Bullæ emissus Radius discucit tenebras Dubitationis illius, quam Nonnulli excitarunt, asserentes; Bullas Anteriorum Pontificum Sixti IV. Pauli V. Gregorij XV. æquè fauisse vtriq; Sententiæ, Affirmatiuæ scilicèt, & Negatiuæ Peccati originalis in B.Virgine; Titulus enim Alexandri-

næ Bullæ clarissimè declarat, & explicat; Innouari Bullas Anteriorum Pontificum editas in fauorem Sententiæ Asserentis Animam Beatissimæ Virginis in sui Creatione, & ad corpus infusione à Peccato Originali Præseruatam fuisse, facto interim alto silentio de Opposita. Vide 2.p. Ar.I.IX.& XV.huius Tract.

2 Secundus Radius disycit tenebras Dubitationis illius, qua dicebatur; Nouissimis temporibus cæpisse Festum Marianæ Præseruationis à tēpore Sixti IV. declarat enim Alexandrina Bulla, quòd Vetus fuerit Christifidelium Cultus Marianę Pręseruationis. Vide 2.p.Art.1.huius Tract.

3 Tertius Radius disycit tenebras Dubitationis illius, qua controuertebatur; An ex Institutione Religionum, & Confraternitatum sub Titulo Immaculatæ Conceptionis approbantibus Summis Pontificibus Negatiua sententia, seù Mariana Præseruatio firmaretùr: declarat enim Alexandrina Bulla, ex Institutione Religionum, & Confraternitatum approbantibus Summis Pontificibus auctum esse Cultum, & Venerationem ergà Marianam Præseruationem. Vide 2.p.Art.VII. huius Tract.

4 Quartus Radius disycit tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur; An ex Concessione Indulgentiarum Mariana Pręseruatio, & Cultus ergà illam firmarentur, plerisq; negantibus fuisse vnquam concessas Indulgentias Immaculatam Conceptionem venerantibus; declarat enim Alexandrina Bulla; Cultum, & Venerationem ergà

Ma-

Marianam Præferuationem auctam esse ex Concessione Indulgentiarum; & consequenter declarat, verè concessas fuisse Indulgentias colentibus, venerantibus Marianam Præseruationem. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.

5 Quintus Radius disycit Tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur, vtra sententia esset communis inter Fideles, Affirmatiua nè, An Negatiua; declarat enim Alexandrina Bulla, quòd communis inter Fideles fuerit Negatiua, quia declarat, quòd Catholici ferè omnes eam tenuerint, & plerę q; celebriores Academiæ, eam defēderint; consequenter declarat, quòd Negatiua habeat illam eandem certitudinem, qnam habemus de salute Adæ Humani Generis Prothoparentis. Vide 2. p. Art. X. & Art. XIV. huius Tract.

6 Sextus Radius disycit tenebras earum Interpretationum, quibus fauores olim impensi à Summis Pontificibus, tàm Festo Marianæ Præseruationis, quàm sententiæ illam tuenti, ità glossantur, ac si fauores non essent: declarat enim Alexandrina Bulla, verè fauores fuisse, atq; adeò Summos Pontifices Romanos impensè fauisse Marianæ Prę seruationi. Vide 2. v. Art. IX.

7 Septimus Radius disycit tenebras earum omnium Disputationum, Concionum, Tractatuum ex professo, siuè scripto, siuè voce vellicantium, & impugnantium Negatiuam: Vetat enim Alexandrina Bulla, & districtè probibet omnes eiusmodi Disputationes, Conciones, Tractatus, & pęnas olim Transgressoribus inflictas, augèt

b 2 &

& cumulat. Vide 2. par. Artic. X.

8 Octauus Radius disycit Tenebras omnis prætextus excogitabilis, quo quis directè, vel indirectè, et proposita argumenta contraria relinquendo insoluta, Festum, & sententiam de Mariana Præseruatione impugnaret, id enim districtè prohibet Bulla Alexandrina. Vide 2. p. Art. X. & Art. IV.

9 Nonus Radius disycit Tenebras eius prætextus specialis, quo quis olim in Regnis Hyspaniarum sub colore proximæ Definibilitatis examinandæ, ausus est Christifideles è sua quasi pacifica possessione colendi hoc Festum, tenendi Sẽtentiam Negatiuam, deturbare. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.


10 Decimus Radius disycit tenebras alterius prætextus specialis, quo quis sub colore Sacram Scripturam interpetrandi, SS. PP. aut Doctores glossandi, Sententiam Negatiuam impugnat; Prohibet enim Alexandrina Bulla huiusmodi Glossas, & Interpretationes Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Doctorum in præiudicium Festi, & Sententię Negatiuæ. Vide 2. p. Art. VIII. & X.

11 Vndecimus Radius disycit tenebras eiu Dubitationis, & Controuersiæ diù aliàs agitatæ quodnam sit Obiectum Festi Conceptionis, & & quid intendant Fideles celebrare, dum hoc Festum celebrant; declarat enim Alexandrina Bulla, Fideles hoc Festum celebrantes, nihil aliud intendere, & nullum aliud obiectum eius celebrationis habere, nisi Marianam Præseruationem, seù Animam

mam B. Virginis in primo instanti suę Creationis ad Corpus, fuisse speciali Dei Gratia, & Priuilegio intuitu meritorum Christi eius Filij Humani Generis Redemptoris à macula Peccati Originalis præseruatam immunem; non ergo Obiectum eius Festi est Sanctitas subsecuta ad Conceptionem, aut sanctitas dispositiua, aut sanctitas præscindens à primo, & secundo instanti, sed est sanctitas Præseruatiua, & primo instanti affixa. Vide 2.p. Art.I. per totum.

12 Duodecimus Radius disycit Tenebras eorum Codicum, seù Librorum, quibus sentētia Negatiua Peccati Originalis in B. Virgine in dubium vocatur: declarat enim Alexandrina Bulla confirmando, & innouando Bullas Anteriorum Pontificum, eos Codices, & Libros non haberi pro veris. Vide Bullam Graue nimis Sixti IV. & 2.p. Art. X. huius Tract. versùs finem.

Quibus sanè Radijs sententiam Negatiuam, & Marianam Præseruationem illustrantibus eò deuentum est, vt intrepidè dicamus, Sanctissimum Dominum Nostrum Alexandrum VII. fauentissimum Marianæ Præseruationi sese declarasse, adeò vt, nisi prioribus verbis Bullæ, seù Clausulis, addidisset; *se nolle decidere*; pòsset satis efficaciter argui, & deduci, quòd Negatiua Sententia esset iam definita, & conclamatum de Opposita.



Errata	Corrige
fol.56.lin.19.dleenſores	deſenſores
lin.24.inferēis	inferentis
fol.67.lin.15.Coepiſcopus	Coepiſcopos
72.lin.19.sà ſpiritu	à ſpiritu
81.lin.9.non eſſet	non poſſet
84.lin.16.fuerit	fuerint
111.lin.23.Virnigis	Virginis
172.lin.6.confirmauit	conformauit
235.lin.5.contingantur	confringantur
129.lin.5.prohibens	prohibente
309.lin.11.paruę	prauę
fol.134.lin.4.Sixtus V.	Gregorius XIII.



